1114.

NICOLAI

# BAYONENSIS

MVSSIPONTANI

S. TH. D. ET IN ECCLESIA
Virdunensi Præcentoris, &
Canonici.

*DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ,*
*& Sacrosancto Missæ Sacrificio*

LIBER.

Varias casuũ conscientiæ resolutiones, omnibus animarum curam gerentibus quâ vtilitate, quâ breuitate, & perspicuitate sua percommodas, complectens.

*VIRDVNI.*

Sumptibus Francisci, & Ioannis du Bois,
Typographorum.

M. DC. XXVIII.



S



du
qu
qu
au
big
ijs
ſea
la



# SCRIPTIONIS CAVSA AD LECTOREM.



Olim te latere ( *Lector beneuole* ) quò in hoc opusculo meo collimarim, aut qua mente, & consilio in id mihi incumbēdum censuerim: aperiam tibi scopum, qui mihi in oculis. Tametsi inter eos, qui infularum sacerdotalium honores aucupantur, non paucos esse nihil ambigo, qui vbi explorandos se dederint ijs, qui in Episcopatibus ad clauum sedent, notas non obscuras, & scintillas statim præ se ferunt industriæ præ-

clarè positæ in earum rerum cognitione, quæ ad mysteria, & arcana Christianæ legis maximè pertinent; ita ut non sine admiratione omnium votis digni renuntientur, qui de cætero cōmendati a moribus pascendis populis præficiantur, præeantq; cæteris ad salutem: satis tamen demirari non potui nonnullos, qui & si vix vllam doctrinæ sementem fecerint, ita tamen de se, neruisq; suis sentiunt, vt præter ius, & æquum, ijsdem cum alijs velificentur honoribus, & ad res arduas, & grauissimas, non secus, ac ad leuiculas accedere miseri non vereantur. Cuius rei causam dum mecum ipse reputarem, ea mihi occurrit duplex, & vtraq; quidem perniciosa. Vna, quòd in ijs non sit is, qui esse deberet, de Deo, rebus que diuinis sensus: Altera,

*quòd toti in desidiam soluti otiosam ætatẽ traducere non vereantur, nec quò aspirãt, eò studia sua, cogitationes, actionesq; dirigant. Affectum illum in Deum iis ingerere, voti est, non instituti mei. Illum discant ab usu, a libris, ab ijs, qui in arte pietatis proceres. Ignauia verò illam, in quam naturæ vitio proni sumus, profligare, illud est, quò collineo. Huic præsidium mutuantur a libris ipsis: Terrent nimirum illos grandiuscula illa classicorum autorum volumina, quæ ut inspiciunt, despiciunt, quia in iis diffusé omnia; in quibus tamen nihil reperias, quod non assidua meditatio facillimum reddat: sed hæc parum ad eorum stomacum. Aliam itaque viam decurrunt, compendiariam scilicet, in qua multùm se profecisse putant, si pla-*

*cita aliqua ſcriptorum, qui breuitati ſtuduere, memoria teneant. At ſi vel minimùm cum iis lucteris, ſtatim concidunt; quia ſi doctrinæ non acceſſerit rationum firmamentum, & veluti coagulum, diffluat neceſſe eſt. Eæ non deſunt ſuis autoribus ſcio, ſed reconditas eas habent in theca ſuæ mẽtis, quas de induſtria vulgare noluerunt, quia lubet eorum tantùm memoriam refricare, quæ alibi lecta. Ita fit, vt vbiq; fluctuent, vbiq; ceſpitent; quia cùm fontes rerum vidiſſe deberent, riuulos ſectati ſunt aridos, & exſuccos.*

*Huic malo vt irem obuiam, qualeſcunque meas lucubratiunculas ſcripſi, & typis tradidi, præſtantium virorum ſuaſu, & impulſu, quib⁹ mihi iacienda exiſtimaui ſemina firmioris alicuius doctrinæ, quæ ex eorum vſu*

*esset, qui aliquando in sortem Domini vocandi sunt: Corollam, inquam, iis texui de Sacramentis Ecclesiæ, & sacro sancto Missę sacrificio, in quam flores ex omni prato carpsi. Qua in re facienda ad eam temperiem mihi veniendum censui, ut nec nimiùm breuis, & concisus esse laborarem, ne obscurior fierem, nec nimiùm diffusus, ne quęstionu vortices illos lector horreret. Libuit itaq; data opera coercere me, & restringere, ut uni⁹ omnino libri res esset, ita tamen ut opiniones, animique mei sensa ubique aut rationis momento, aut autoritatis alicunde aduectę fulcro firmarim, ea qua potui perspicuitate; Neque enim eorum sententię subscribo, qui nihil eruditum putant, nisi quod abditum, & reconditum. Quam opellam meam si*

SCRIPTIONIS CAVSA

*qui inuideãt, aut carpant, nil eſt quod laborem: famam ſcio non eſſe iuris noſtri. Tu lector, gratum hoc meum opuſculum, & animum habe, & faue.*





# APPROBATIO ILLVstrissimi, & Reuerẽdissimi Domini D. Episcopi, & Comitis Virdunẽ. S.R.I. Principis, &c.

NOs Carolvs a Lotharingia Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicę gratia Episcopus, & Comes Virdunensis, S. R. I. Princeps, &c. Librum *De Sacramentis Ecclesiæ, & Sacrosancto Missæ sacrificio*, à venerabili viro Domino Nicolao Bayonensi Mussipontano, Sacræ Theol. Doctore, & in nostra Ecclesia Virdunen. Pręcẽtore, & Canonico in lucem editum, qua potuimus diligentia perlegimus, & euoluimus, in quo nihil a veritate fidei Catholicæ alienum, nihil deuiũ, nihil dissonum deprehenditur: Verũ enimuerò nihil quod probari, laudarique non debeat, quem propte-

rea typis, & omnium oculis ad publicam, & præsertim gerentium curã animarum vtilitatem ita dignum cẽsemus, vt etiam dictæ Ecclesiæ nostræ Virdunen. de tali alumno, & collega merito gratulemur. In quorum fidem, & testimonium præsentes literas manu nostra signatas Sigilli nostri impressione muniri, & a Cameræ nostræ Episcopalis Secretario subscribi curauimus. Datum in ciuitate nostra Virdunen. Anno Millesimo sexcentesimo vigesimo.

*Carolus a Lotharingia Epis. & Com. Virdunen.*

De mandato Illustriss. & Reuerendissimi Domini D. mei.

*De Mageron.*



# CAPVT I.

## DE SACRAMENTIS in genere.

## SECTIO I.

### DE NOMINE, NATVRA, & essentia Sacramenti.



QVÆ sunt huius vocis *Sacramentum* significationes. I.

*Resp.* Sacramentũ a Sacro dictũ esse testatur Varro de lingua latina l. 4. Hinc traductum est 1. ad eam pecuniam significandam, quam collitigantes deponebant, & qua multabatur in pœnam iniustæ litigationis, qui causâ cecidisset. 2. ad iuramentum militare, authore Vegetio, l. 2. de re mili-

tari. 3. ſacris authoribus Sacramentum idem eſt, quod vox græca, *myſtirion*, atque ita non modò rem ſacrá, arcanam, & occultam ſignificat, quo ſenſu accipiendum eſt apud Apoſtolum ad Epheſ. 1. *Vt notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ*; ſed etiam ſignum ipſum rei ſacræ occultæ, ac ſupernaturalis, vt apud eundem de coniugio primorum parentum verba facientem ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt* &c. quòd cõiunctionem Chriſti cum Eccleſia ſignificaret. Hinc denique contractiùs ſumitur vox, Sacramentum, a patribus Hieron. Auguſt. Tertull. a Concilijs Triden. & Floren. & a D. Thoma, cæteriſque Theologis, apud quos nihil eſt aliud quàm ſignũ, ſeu ſacrũ ſimbolum gratię ſpiritalis occultæ, qua animæ noſtræ initiantur, ac veluti conſecrantur. qua in ſignificatione deinceps quoque a nobis vſurpabitur.

2 IN quo poſita eſt ratio, ſiue natura, & eſſentia Sacramenti.

Vt difficultas clariùs elucеſcat. Nota tria in omni Sacramento conſiderari poſſe 1. eſt, quod in illo eſt ſenſile præcisè, hoc eſt ſeponendo, & ſecernendo eius ſignifi-

cationem. 2. est rei sensilis significatio, v. c. in Baptismo spectare possumus externã illam aquæ ablutionem, & præterea significationem illam, seu habitudinem, quæ ei inest ad internam ablutionẽ indicandam. 3. est totum illud compositum, & coagmentatum ex re sensili (quo nomine intelligo tam verba, quàm alia, quæ ad materiã pertinent) & significatione. Difficultas igitur est, in quonam illorum trium ratio sacramenti posita sit.

*Resp.* Ratio Sacramenti posita est non in sola significatione, neque in sola re sensili, sed in vtroque simul, quia Sacramẽtum est totum quoddam arte factum; nomina autẽ arte factorum significant subjectum, & formam artificialem, idque in recto, teste Aristotele. 3. Physic. c. 7. Sicut igitur statua non tantùm significat formã artificialem statuæ, sed etiam æs, ex quo constat; sic Sacramentum sumitur non tantùm pro significatione, quæ sacramento inest, sed etiam pro re sensili, ex qua componitur.

POtestne definiri Sacramentum, & quomodo. 3.

*Resp.* Non potest quidem definiri defini-

tione exacta, propria, & accurata, quæ fiat per genus, & differentiam est enim Sacramentum ens artificiale, quod propriè loquendo in nulla Categoria reponitur, proindeque nec proprium genus, nec propriã habet differentiam: potest tamen aliquali definitione sic explicari. *Sacramentum est signum sensile sacrum, statum, ac solemne ordinatum tum ad sanctificationem aliquam tribuendam, tum ad veram animæ sanctitatem significandam.* Dixi esse signũ, vt complecterer sacramenta tam antiquæ, quam nouæ legis. Verùm aduerte significationẽ illam, quæ cõuenit verbis, vt sunt pars sacramenti, differre ab ea, quam habent, vt ex instituto hominum significant: illa enim per quam gratiam diuinam significant, est ex institutione diuina, hæc ex mero hominum beneplacito ei conuenit. Quod etsi ita sit, habet tamen Sacramentum naturalem aliquam cum re significata proportionem; sic Eucharistia ad animę refectionẽ instituta nõ in lapide, aut ligno, sed in pane, & vino; baptismus ad animæ munditiem ordinatus, non in pane, vel vino, sed in aqua consistunt. Dixi *esse signum statum ac solemne*; Si enim religio sine sacramentis esse non potest, vt docet Au-

gust. sequitur ea veluti ceremonias quasdã aptas ad colendum Deũ, hominesque ipsi consecrandos, habere necessariam cum religione connexionem, ac proinde firmas esse, ac perpetuas, quæ quandiu stat religio, tandiu ab interitu vindicentur. Dixi *ordinatum ad sanctificationem &c.* Si enim loquamur de Sacramentis veteris legis (cuius propria sanctitas erat quasi vmbra veræ sanctitatis) ea sanctitatem ac munditiem quandam legalem cõferebant, nostra verò necessariò conferunt veram sanctitatem ea dignè suscipientibus. Adde rem sacram, quæ per Sacramentum præcipuè significatur, esse gratiam habitualem, cuius esse signum practicum, Sacramentis nouæ legis peculiare est. Ex quib' omnibus non difficulter colligitur, quamobrem esus mannæ, transitus maris rubri, serpens æneus, benedictio Abbatis, verba illa paralytico dicta. *Remittuntur tibi peccata tua,* Sacrificium, aliaque id genus non sint sacramenta.



# SECTIO II.

## DE PARTIBVS SAcramentum componentibus.

4 REquirũtur ne determinatæ res ad Sacramenta.

*Reſp.* Res Sacramentorũ nouę legis a Chriſto determinatæ ſunt. De baptiſmo patet Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. vbi materia remota deſignatur. & Math. vltimo, *Baptizentes eos*, vbi proxima. De Eucha. Math. 26. *Accepit Ieſus panem*, & ita de reliquis. Fatendum tamen eſt non eodem modo, neque omni determinationis genere res Sacramentorum fuiſſe a Deo determinatas: Nulla enim imprimis vſquam facta eſt determinatio in indiuiduo: vnde nil intereſt, quod hæc, aut illa numero aqua in Baptiſmo aſſumatur. Quod autem attinet ad ſpecificam determinationem, tametſi in quibuſdam ſacramentis non nulla ſunt ſecundum ſpeciem infimam determinata,

nata, vt aqua elementaris in Baptiſmo, oleum oliuarum in Extrema vnctione; In cæteris tamen determinatio facta eſt tantùm ſecundùm ſpeciem ſubalternã, vel genus, vt vinum & panis triticeus in Euchariſtia oleum & balſamum in Confirmatione; quæ plerique renſent differre ſpecie infima. Poſt inſtitutionem autem, ac determinationem rerum ſacramentalium a Chriſto factã nõ poteſt Eccleſia res Sacramentorũ immutare, in eiſue diſpenſare; quia ſicut ſolius Dei eſt conferre gratiam, ita & res ad eam ſignificandã, vel conferendã determinare. Quare cum Eccleſia perſonas quaſdam inhabiles reddit ad Matrimoniũ contrahendum, quæ antea ad id habiles erant, non immutat propriè, & formaliter materiam Sacramenti, ſed apponit tantùm conditiones quaſdam eiuſmodi cõtractui, quarum defectu redditur contractus inualidus, vt pote qui non tantùm a voluntate cõtrahentium, ſed etiam a volũtate eorum, quibus illi ſubiecti ſunt pendeat: quo pacto mutatur materia Sacramenti, cum quis vinum in acetum conuertit.

5 EStne de ratione Sacramenti, vt non tantùm rebus, ſed etiam verbis cõſtet.

*Reſp.* Sacramenta legis antiquæ non omnia verbis conſtabant: Noſtra verò non modò rebus, ſed etiam verbis neceſſariò conficiuntur. Ita Concil. Floren. in inſtructione Armenor. quod vt verum ſit, non neceſſe eſt, vt res non ſint verba, & verba non ſint res, ſed ſatis eſt, quod in ſingulis Sacramentis reperiatur aliquid, quod vicem rei, & aliquid, quod vicem verbi gerat; ſic in Matrimonio nutus quandoque verborum locum tenent.

6 COmponunturne Sacramenta nouæ legis ex rebus, & verbis, tanquam ex materia, & forma.

*Reſp.* Triplex in Sacramentis deprehenditur compoſitio. Prima metaphyſica ex genere, & differentia, de qua ſupra. Secunda veluti phyſica, ex rebus ſcilicet, & verbis tanquam ex materia & forma: quemadmodum enim in compoſito phyſico materia præcedit formam, ſic res ſenſilis verba. *Accedit verbum ad elementum* (inquit Auguſt.) *& fit Sacramentum*; & vt materia ex ſe indeterminata a forma determinatur, ita verba indifferentiam ele-

menti determinant &c. adeo-vt aſperſio aquæ, quæ fit in Baptiſmo obtineat a verbis, quòd ablutionem, non autem refrigerationem ſignificet. Tertia, & vltima, quæ eſt ex rebus, & verbis ſimul ſumptis ex vna parte, & ex integra eorundem ſignificatione ex alia, poteſt ritè dici compoſitio ex re ſignificante, & ſignificatione; res enim & verba ſimul ſumpta habent ſe reſpectu integræ ſuæ ſignificationis per modum materiæ reſpectu formæ totalis, ſicque legitimè coniuncta accipiunt ex Chriſti inſtitutione nouam vim ſignifi-gnificandi gratiam.

COmponuntur ne Sacramenta ex materia, & forma, ſeu ex re ſenſili, & verbis tanquã ex partibus ſibi eſſentialibus. 7

*Reſp.* Sacramenta, quæ in vſu, ſeu actione tranſeunte conſiſtunt, ita componuntur: Nomina enim arte factorum, cuiuſmodi eſt ***Sacramentum***, ſupponunt pro materia & forma ſimul, vt patet ex iam dictis. Quod autem atinet ad Sacramentum Euchariſtiæ, cùm in re permanente conſiſtat, non poteſt intrinſecè componi ex rebus tranſeuntibus, ſed ſolùm aliquo modo extrinſecè, vt ſuo loco dicetur.

8 QValis coniunctio requiritur inter materiam, & formam, vt ad vnum totum conficiendum coalescant.

Resp. Vnio quæ requiritur inter materiam & formam Sacramentorum, non physicè, sed moraliter, seu ex cõmuni hominum æstimatione expendenda est, ac proinde ea solùm exigenda, per quam habita ratione significationis verborum, & qualitatis actionis sensilis censeatur moraliter forma in materiam cadere, eamque determinare ad vnum signum constituendum: quod vt varia sunt Sacramenta, ita variè accidit.

9 REquiruntur ne determinata verba in Sacramentis,


Resp. Sacramenta nouæ legis certis, ac conceptis verbis constant. De Baptismo clarus est locus Math. vltimo *Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine patris &c.* Item Christus in institutione Sacramenti Eucharistiæ certa, determinataque verba vsurpauit, quibus subiunxit hæc alia. *Hoc facite in meam commemorationem.* quibus iubemur iisdem vti verbis, De Pœnitẽtia. Math. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram &c.* ex quibus colligi-

tur in ea his verbis vtendum, *Ego te absoluo* Etsi autem aliorum Sacramentorum formam certã, ac determinatam non ita facilè ex scripturis possimus colligere, sufficere tamen debet perpetua ab Apostolis accepta traditio, & Ecclesiæ authoritas. Determinatio tamen illa verborum, quæ est a Christo, facta non est secundùm certũ sonũ verborum, sed secundùm certum sẽsum, ac sententiam: tam enim baptizãt Græci Græcè, quam Latini Latinè, & quamuis apud Græcos forma Baptismi aliis constet verbis, quã apud latinos (non enim dicũt, *Ego te Baptizo*, sed tantùm, *Baptizetur seruus Christi.* verus tamẽ, validusque est eorũ Baptism⁹.



# SECTIO IIII.

## *DE MVTATIONE FORMÆ Sacramentalis.*



Vibusnam mutationibus forma Sacramenti corrumpitur. 10.

Nota mutationes, quæ in formas Sacramentorum induci possunt, ad tria genera reuo-

cari posse: vel enim mutatio se tenet ex parte Ministri tantùm, vel ex parte formæ tantùm, vel se tenet tam ex parte formæ, quàm intentionis Ministri. Nota secundò mutationem omnem formæ in Sacramentis esse duplicem, Essentialem vnam, Accidentalem alteram. Mutationem essentialem voco eam, quâ positâ sensus formę tollitur; Accidentalem verò, quæ licet perfectionem debitam ab eà tollat, sensum tamen ei debitum relinquit; quò fit, vt quantùm est ex se Sacramentum irritum non reddat. Hoc posito.

R*esp.* 1. Quādo mutatio est primi generis, ea nunquam est essentialis, nec per eam redditur Sacramentum inualidum: quod enim minister sit hæreticus, vel infidelis, modò cætera ad integritatem formæ requisita non desint, est quid extrinsecum, & impertinens respectu talis formæ.

R*esp.* 2. Quando mutatio est secundi generis interdum est essentialis, interdum accidētaria tātùm: Vel enim mutatur tātùm idioma, & tūc mutatio cēsenda est accidentalis tantùm: vel verba quædā pro alijs inserūtur, & tunc si verba sint perfectè synonima, mutatio erit tātùm accidētalis, vt si quis dicat, *Baptizo te in nomine genitoris, geniti, & pro-*

*dentis ab vtroque*: si secus, erit essentialis, vt si quis loco *Te baptizo*, dicat, *Ego te absoluo a peccato originali*: vel verba transponuntur, & hoc interdum mutationem inducit accidentalem tantùm, vt si quis dicat *Ego baptizo te*, interdum etiam essentialem, vt si quis dicat *Baptizo in te nomine Patris*: vel interrumpitur forma, & hoc fit aliquando cum mutatione essentiali, vt si consecraturus dicas *Hoc est*, & post quartam partem horę multis interiectis subiicias, *Corpus meũ*: ex verbis enim prioribus, & posterioribus non censetur confici vna oratio: aliquando verò fit cum accidentali duntaxat, vt si post priora verba tantisper ex deuotione, aut alia simili occasione hæreas, & mox posteriora subijcias; modica enim illa interpolatio vnitati orationis nihil officit, nec eius legitimum sensum euertit: vel verba formæ corruptè pronuntiantur; & si vitium tantùm sit, vt sensus non subsistat, mutatio erit essentialis, vt si quis loco *Patris*, pronuntiet *Matris*: Si verò verba adhuc nata sint verum sensum audiẽtibus ingenerare, mutatio erit accidentalis, vt cernere est in illo trito exemplo, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta*, hanc enim Baptismi formam valere iu-

dicauit Zacharias Papa, vt habetur c. *Retulerũt*, de consec. dist. 4. Parum autem refert, quòd ea vitiatio ex imperitia, balbutie aut malitia nascatur; attentendus enim est sensus formæ qui cum non tollitur, Sacramentum manet validum; cum tollitur, redditur inualidum: Vel additione nonnullorum verborum forma variatur; essentialiter quidem, si sensum præscriptum verborum tollant, vt si quis baptizet *In nomine Patris & Filij minoris &c.* accidentaliter si non tollant, etsi existimentur vt necessaria, vt euenit in consecratione Græcorum: Vel ex formis verborum Sacramentalium nonnulla subtrahuntur, qua de re idem iudicium esse debet, quòd de additione: Vel verba formæ omnia mutantur in signa, & nutus, & hoc in Matrimonio est accidentale, in cæteris sacramentis essentiale: Vel demum mutatio ex eo est, quod plures eandem formam partialiter proferant, & hæc mutatio in Extrema vnctione & Matrimonio accidentalis est, in cæteris essentialis.

*Resp.* 3 Quando mutatio est tertij generis, siue fiat a ministro animo inducēdi nouum ritum in Ecclesiam, siue non, dummodo sensus formæ remaneat, habeatque

intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ea essentialis non est, sed accidentalis. Controuertitur enim inter DD. Catholicos, num hæc verba, *Qui pro vobis, & pro multis &c.* sint de essentia consecrationis calicis, adeo-vt nōnulli ea vsurpent tanquam formæ essentialia, alij secus; quo non obstante tam hi, quàm illi consecrant: quare modò sensus formæ constet, intendantque facere, quod facit Ecclesia. quæuis alia intentio Sacramētum non inualidat; quod vel ex eo cōfirmatur, quod Græci alio modo baptizent, quàm Latini, idque animo inducendi in Ecclesiam Romanam nouum ritum, quem Baptismo essentialem putant. Si tamen alicunde sensus redderetur ambiguus, & alium sensum a Sacramentali minister intenderet, fere semper irritum esset Sacramentum, defectu legitimæ intentionis.

QVale peccatum incurrūt, qui formas Sacramentorum immutant, 11

R*esp.* Qui sponte, & de industria Sacramēta mutant quo ad essentialia, graue sacrilegium committunt: Christo enim magna irrogatur iniuria, dum nouus ritus inducitur eius institutioni repugnans: a fidelibus

quoque, cum hoc fit, non ſine magno ſalutis eorum diſpendio, vera Sacramenta ſubtrahuntur: poſſet id tamen ex aliqua perturbatione, aut aliunde oriri, quo caſu quis excuſaretur a mortali: Idem dicendum, quando redditur dubium Sacramentum; in moralibus enim pro eodem habentur, facere aliquod malum, & exponere ſe periculo id faciendi. Læthale quoque eſt, ac ſpecies ſacrilegij apertè inducere in formas Sacramentorum mutationem accidentalem, contra communem vſum Eccleſiæ; vt ſi quis in conſecratione calicis omitteret illa verba *Noui & æterni Teſtamenti &c.* poſſet tamē peccatum illud, quod ex genere ſuo eſt mortale, fieri leue ob leuitatem materiæ, vt ſi quis in conſecratione calicis omitteret particulam *enim*, ſine ſcandalo, aut contemptu &c.

12 QVid facto opus eſt, cum dubium eſt, an forma Sacramēti fuerit inualida, & conſequenter Sacramentum nullum.

Reſp. Si dubitatio ſolum è ſcrupulo naſcatur, reiiciēdus eſt ſcrupulus: ſi autem probabili ratione nitatur, forma ſub cōditione repeti poteſt, præſertim ſi Sacramētum ſit neceſſarium; *vt ſi non es baptiza-*

*tus, ego te baptizo.*



## SECTIO IIII.
## DE NECESSITATE SAcramentorum, eorũque effectu.

SVntne Sacramẽta ad humanã salutẽ necessaria. Sẽsus questionis non est, An post Sacramẽtorum institutionẽ necesse sit iis vti, sed an fuerit necessariũ ad hominum salutem ea institui. 13.

*Resp.* Sacramentorũ institutio non fuit quidem absolutè necessaria ad salutem hominũ, cùm in potestate Dei esset gratiam, & gloriam ijs conferre absque Sacramentis; eorum tamen institutio, præsertim in lege Euangelica, fuit hominum saluti conuenientissima, & accommodatissima siue naturam hominum spectes, quibus familiare est per corporalia ad spiritualium cognitionen deuenire, quique, vt pulchrè August. l. 19 contra faustum c. ij. in nullũ nomẽ religionis, seu verum, seu falsũ

coadunari possunt, nisi aliquo signaculorũ, seu Sacramentorum visibilium consortio colligentur: siue rerum ipsarum, quæ per huiuscemodi pium vsum, quantùm fieri potest, proximè fini, ac creatori suo coniunguntur; siue Dei instituentis, qui hac in re maximè suam potentiam, sapientiam, misericordiam, ac iustitiam manifestat. Neque indignum est, vt obganniunt nouatores, hominibus legis Euangelicæ, vt sint adhuc seruientes sub elementis huius mundi, non enim seruimus, sed vtimur, tum ad cultũ Deo exhibendum, tum ad præstantissimos effectus gratiæ, gloriæ, & remissionis peccatorum: qua ratione etiam non est inconueniens in eadem lege esse figuras, & simbola, non quæ Christũ venturum præsignificent, sed, vt docet D. Thomas, quæ sint demonstratiua gratiæ præsentis, rememoratiua passionis Christi, & vitæ æternæ prognostica.

14. SAcramenta suntne causa gratiæ.

*Resp.* Solus Deus, vt causa principalis, producit gratiam, ac peccata remittit. Ita Trid. sess. 6. c. 7. Sacramẽta verò nouæ legis, tanquã causæ minus principales verè, propriè, & immeditatè gratiam conferunt

non ponentibus obicem. Clara sunt scripturæ loca, quæ id probant. De Baptismo Ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*. De Euchar. Ioa. 6. *Qui manducat me, viuet propter me*, vbi Christo in Eucharistia sumpto tribuitur, quod sit causa vitæ spiritualis, scilicet gratiæ; & ita de alijs. Adde id decretum esse a Cōciliis Arausic. Mileuit. Florē. Trid. Neque nos mouere debet, quod ad Hæbr. 10 dicatur iustus ex fide viuere: neque enim scriptura dū vim iustificādi tribuit fidei, excludit Sacramenta, aut Christi merita. Hæc igitur omnia ad iustificationem adultorum suo modo concurrunt; fides, vt eius fundamentum; contritio, vt dispositio, Sacramenta, vt Dei instrumenta, Deus vt causa præcipua; quod non obscurè docet Trid. seff. 6. c. 7. Ex quibus sequitur 1. non modò Sacramenta habere vim conferendi gratiam, sed etiam eam augendi in ijs, qui ad eam per iustitiam præcedentem disponuntur. Sequitur 2. Sacramenta conferre virtutes alias supernaturales, ac dona Spiritus sancti, quæ sunt veluti quædam proprietates gratiæ eam consequentes.

Sacramenta nouæ legis conferuntne gratiam ex opere operato. 15

Nota Sacramenta conferre gratiam ex opere operato aliud nihil esse, quam actionem ipsā Sacramentalē, vt actio Sacramētalis est præcisé, seu ex vi institutionis diuinæ preter omne meritū vel ministri conferrentis, vel ipsius suscipientis gratiā conferre: ê diuerso autē illud opus dicitur cōferre gratiā ex opere operātis, quod eā cōfert, quatenus est actio laudabilis, & veræ virtutis, habēsque rationē alicuius meriti.

*Resp* Igitur Sacramēta nouæ legis cōferunt gratiam ex opere operato. Ita Trid. sess. 7. can. 8. cui ratio adstipulatur: Baptismus enim ab impio Sacerdote infanti collatus ei gratiam confert, non ex opere operantis, cùm minister peccet mortaliter, suscipiens verò meré passiué se habeat, ergo ex opere operato. Et quamuis in adulto suscipiente Sacramentum requiratur, vt nullus sit obex (qualis est infidelitas, & omne actuale peccatum mortale) adhoc, vt effectū Sacramenti cōsequatur, ea tamen dispositio non est id, quod effectiuè concurrit ad productionem gratiæ, sed Sacramētum ipsum, vt Dei instrumentum; sicut dispositiones, quæ antecedunt introductionem formæ igns in materiam combustibilem non attingunt eius productionem,

ſed ſolus ignis.



# SECTIO V.

## *DE DISPOSITIONE ſuſcipientis Sacramentum.*

QVam diſpoſitionem requirunt Sacramenta in ſuſcipiente, vt producant gratiam. 16.

Conſtat nullã diſpoſitionẽ requiri in infãtib', vt enim nõ ſua ſed aliena voluntate peccarunt, ita ſine vllo ſuo actu per Baptiſmũ iuſtificantur. Quæſtio igitur eſt tantùm de adultis, de quibus.

*Reſp. 1.* Si quidpiam læthale aliquando commiſerint, quod in iis nondum remiſſum ſit, requiritur bona aliqua actualis diſpoſitio, vt fructuoſè, ac cum effectu gratiæ poſſint recipere Sacramenta conſe-rentia primam gratiam; Neque enim conſentaneum eſt, vt ei culpa remittatur, quã voluntariè commiſit, quandiu illam non deteſtatur: quod docuit D. Petrus Actor.

c. 2. cũ Iudæis cõuerti volẽtibus, quidque sibi facto opus esset quærentibus respõdit, *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.*

Resp. 2. Non est necesse, vt dispositio illa, quæ requiritur ad gratiã per Baptismum, vel Pœnitentiam suscipiendam post peccatum mortale commissum, sit Contritio, sed sufficit, quod sit Attritio; cùm enim duo illa Sacramenta directè instituta sint ad remittenda peccata, finem suum non assequerentur, si Contritio, cui ilico respondet sua gratia iustificãs ex opere operantis, prærequireretur ad illa: In aliis verò quinque Sacramentis, ob rationẽ oppositam, scilicet quia non sunt instituta ad remissionem mortalium, per se non sufficit Attritio, sed tantùm per accidẽs, hoc est, ratione ignorantiæ, & bonæ fidei suscipientis, qui aut ignorat inuincibiliter se esse in peccato mortali, aut putat se contritum, cum sit attritus tantùm. Ex quibus facilè intelligitur, quid causæ sit, cur duo illa Sacramenta. Bap⁹, & Pœnitentia nũcupari soleant a Theologis, *Sacramẽta mortuorum*, cætera verò *Sacramenta viuorum*; id enim ita fit, quia hæc vitam spiritualem in

susci-

suscipiente requirunt, illa duo non.

Resp. 3. Vt Sacramentum quoduis, extra Pœnitentiam, a iusto licitè susceptum, conferat ei gratiæ augmentum, non est necessaria in eo actualis aliqua dispositio, sed sufficit habitualis: cum enim sit in gratia, eo ipso censetur sufficienter dispositus ad recipiendum gratiæ augmentum; quamuis alio modo ad eam non se disponat, sed tantùm abstineat a peccato mortali.

QVid dicendum est de adulto, in quo non esset aliud peccatum, quam Originale. 17

Resp. Non esset in eo necessarius actus, quo peccatum suum detestaretur, sed tantùm, quo se conuerteret ad Deum.

AN eadem specie Sacraméta non ponentibus obicem æqualem semper conferunt gratiam. 18

Resp. Suscipientibus æqualiter dispositis eadem specie Sacramenta semper æqualem conferunt gratiam: quò verò quisque meliùs dispositus accedit ad Sacramentum eiusdem speciei, eò intensiorem gratiæ effectum ab eo recipit, ex opere operato.

C

Prior pars probatur, quia quantùm eſt ex parte cuiuſuis Sacramenti, effectus ipſius eſt in omnibus æquàlis, quare ſi ex parte quoque diſpoſitionis ipſius ſubiecti inueniatur æqualitas, abſolutè effectus Sacramenti erit æqualis. Poſterioris veritas colligitur ex Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 7. vbi agens de iuſtificatione, quæ fit per Baptiſmum, ait vnumquemque in ſe recipere ſuã iuſtitiam ſecũdùm menſuram, quam Spiritusſanctus partitur ſingulis, pro-ut vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationẽ: Vnde ſequitur meliùs diſpoſitum, recipere maiorem. Neque dicas meliùs diſpoſitum habere maiorem fructum ex merito; cum enim Attritioni in homine nondum iuſtificato nulla reſpondeat gratia ex opere operantis, dicendum eſt eam omnem, quæ datur, eſſe ex vi Sacramenti, & ex opere operato.





# SECTIO VI.

## *DE TEMPORE, QVO Sacramenta producunt gratiam.*

QVandonam Sacramenta conferunt gratiam iustificantem. 19,

Resp. Sacramentũ nunquam confert gratiam ex opere operato, nisi reipsa suscipiatur; confert autem in illo ipso vltimo instanti, in quo intrinsecè, & essentialiter completur. 1. pars ex eo ostenditur, quod Deus instituendo Sacramenta iis solùm pollicitus sit gratiæ effectum, qui actu ea suscipiunt, Marci vltimo. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit &c.* & Ioa. 6. *Qui manducat meam carnem &c.* Quod si Concil. Trid. & DD. doceãt Sacramenta in voto suscepta satis esse ad effectum Sacramenti recipiendum, id intelligendum est, non de effectu Sacramenti, vt eius effectus est, sed velle tantùm eiusmodi voto respondere gratiã aliquam ei persimilem, quæ causatur a Sacramentis re ip-

ſa ſuſceptis. 2. pars probatur: Sacramenta enim non producũt gratiam, antequã perfecta ſit eorum ſignificatio, hoc autem non fit ante illud inſtans.

20 QVonam inſtanti Sacramenta gratiam conferunt, an in eo, quod eſt vltimũ prolationis verborum, vel in eo, quod terminat applicationem materiæ.

*Reſp.* Gratia in eo inſtãti cõfertur, in quo cenſetur perfectum totum Sacramentum; quare ſi contingat in eodem inſtanti applicationem materiæ, & prolationem formæ terminari, in eo materia, & forma concurrent ad productionem gratiæ: Si verò priùs adhibeatur materia, quàm forma pronuntietur, huius erit conferre gratiam, vt & illius, ſi poſteriùs applicetur.

21. AN Sacramenta fictè ſuſcepta, hoc eſt, quæ non habuerunt ſuum effectum gratiæ, cum conferrentur, ob impedimentum aliquod, quod ei obiiciebatur a ſuſcipiente, remoto poſtea tali obice, concurrant ad gratiam ex opere operato producendam.

Vt res fiat clarior, Nota poſſe fictè ſuſcipi Sacramentum dupliciter 1. ſine in-

tentione illud ſuſcipiēdi, vel cum defectu, qui ſit eſſentialis, ita-ut Sacramentum nullum ſit. 2. quando Sacramētum conſtat iis omnibus, quæ ad eius eſſentiam pertinent, ſuſcipitur tamen ſine ſuo effectu, qui eſt gratia, ob indiſpoſitionem ſuſcipientis. De priori modo non eſt hic quæſtio, quia in eo caſu, quo nullum eſt Sacramentum, iterari debet, ſed tantùm de poſteriori.

R*eſp.* Igitur quæſtioni affirmatiuè, id enim diſertè docet D. Auguſt. de Bapt. l. ii. c. 12. & l. 3. c. 13. quem in eo ſequuntur omnes ſcholaſtici: idēque iudiciū videtur faciendum de nonnullis aliis Sacramentis.



## SECTIO VII.

## *DE GRATIA SACRAMENTALI, & Caractere.*




ADditne gratia Sacramentalis aliquid ſuper gratiam virtutū & donorum. 22

R*eſp.* Gratia Sacramentalis

ſeu quæ eſt proprius effectus Sacramentorum, hoc differt a gratia habituali communiter dicta, quod hæc purè, & ſimpliciter referatur ad animam ſanctificandam; illa verò inſuper habeat ius quoddam ſibi annexum, vt pro loco, & tempore homini fauores, & auxilia quædam in actu ſecundo conferri debeant, quæ ſint ad proprios, & peculiares Sacramenti cuiuſque effectus conſequendos accommodata; cuiuſmodi in Baptiſmo ſunt auxilia neceſſaria ad obſeruationem legis, cuius Baptiſm⁹ eſt proteſtatio quædam: In Confirmatione eſt robur quoddam ſpirituale ad fidem animosè profitendam; in Ordine ad rectam executionē miniſterij ſacri &c. Licet igitur omnes omnino gratiæ Sacramentorum ſint eiuſdem inter ſe ſpeciej, & cum ea, quæ per merita acquiritur, moraliter tamen, ratione diuerſi iuris ſibi annexi, inter ſe differunt.

23 IMprimuntne Sacramenta caracterem aliquem in anima.

Reſp. Fide credendum eſt Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem imprimere caracterem in anima indelebilem, vnde ea iterari non poſſunt. Ita Trid. ſeſſ. 7. cā. 9.

QVid est Caracter. 24

Resp. Est qualitas quædam spiritalis, quæ indelebiliter imprimitur in intellectu hominis, & per quam homo moraliter disponitur aut ad suscipienda sacramenta, vt facit caracter Baptismi, qui proinde dicitur ianua Sacramentorum, aut ad ea conficienda, vt facit caracter Ordinis; aut ad fidem propugnandam, vt facit caracter Confirmationis. Est igitur caracter *Nota quædam spiritualis Christianorum animis indebiliter a Deo impressa, per quam illi recipiunt signum aut Domesticorum Dei, aut militum eius, aut dispensatorum mysteriorum eius.* Dici quoque potest caracter ex pacto Dei requiri, & dari tanquam conditio necessaria, atque adeo tanquam potentia quædam moralis ad actus Sacramentales vel suscipiendos, vel efficiendos.

QVo sensu dicitur caracter indelebilis. 25

*Resp.* Non tantùm est indelebilis, quia toto vitæ tẽpore, aut etiam post mortem in anima perseuerat, iustis quidem ad gloriam, damnatis ad ignominiã; sed etiam quia est qualitas natura sua incorruptibilis: cuius rei ratio est, quòd sit in intel-

lectu potentia incorruptibili, nec quidquam sit ei contrarium, a quo corrumpi possit, ne quidem demeritoriè, vt gratia.



# SECTIO VIII.

## DE AVTORE SAcramentorum.

26 Vis est autor Sacramentorum nouæ legis.

Resp. Christus, vt Deus, potestate præcipua; vt homo potestate delegata per se, ac immediatè Sacraméta omnia nouæ legis instituit. Quod sit eorum autor, sub anathemate tenendum decernit Concil. Trid. sess. 7. can. 1. Quod auté vt Deus potestate præcipua id fecerit probatur, quia solus De⁹ potest certis quibusdã rebus certã vim, & infallibilé attribuere gratiæ tum significãdæ, tum efficiendæ. Porrò dicitur, quâ homo potestate delegata ea instituisse; quia licet natura eius humana omnem suam potestaté,

& dignitatem ab hypoſtaſi verbi mutuaretur; ab eà tamen, eiuſque arbitrio externa eorũ inſtitutio procedebat. Ex quibus colligi poteſt quàm meritò vocet Paulus Apoſtolos miniſtros, ac diſpenſatores myſteriorum Dei, non autem autores 1. ad Cor. c. 4.

QVis operatur interiùs effectum Sacramenti. 27

*Reſp.* Poteſtas in Sacramenta, corumbue effectum, gratiam ſcilicet, & caractetem, triplex non incommodè poteſt aſſignari; vna principalis, præcipua, & independens, quæ ſoli Deo conuenit 2. infima, ac purè miniſterialis, quæ Sacramẽtorum miniſtris propria eſt, qui non aliter concurrunt ad eorum effectus, quàm per per eorundem applicationem 3. media miniſterialis quidem, ſed per excellentiam, quæ cõuenit Chriſto homini, vt homo eſt.

IMprobi miniſtri conferuntne validè Sacramenta. 28

*Reſp.* Et validè conferunt Sacramenta, & eorum fructum, ſi nullum ſit impedimentum in ſuſcipiente; vnde illud Auguſt.

l. 2. contra epistolam Parmeniani c. 10. Omnia Sacramenta, cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus. Ratio est, quia Sacramenta non operantur ex virtute meritorum ministri, sed ex meritis Christi, & virtute diuina, quibus improbitas ministri non officit. Est de Fide definitum in Concil. Constantien. sess. 8. & 15. & Trid. sess. 7. can. 12.

29 PEccatne mortaliter minister, qui existens in peccato mortali Sacramenta ministrat.

*Resp.* Qui sciens se esse in peccato mortali Sacramenta ex officio ministrat, peccat mortaliter: a mortali verò excusatur, qui ea confert ob vrgentem necessitatem, & non ex officio. Ratio prioris partis est, quia repugnat dignitati Christi, cuius personā minister immediatè sustinet, & Sacramētorum, quæ eiusdem Christi merita, & sanguinem moraliter in se continent, tractari, & dispensari ab eo, qui est hostis Christi, & mancipium Diaboli, præsertim cum ad suum munus ritè obeundum fuerit singulariter per Sacramentum aliquod consecratus. Posterior pars ex eo probatur, quòd qui Sacramentum ministrat, & non ex

officio, sed ob vrgentem grauem aliquam necessitatem, v. c. laicus, qui in necessitate baptizat, ne infans sine Baptismo moriatur, non habeat huiusmodi peculiarem obligationem, cum ad hoc non sit peculiariter consecratus, & propterea non videatur tantam in Deum committere irreuerentiam.

OVid ei faciendũ esset, cui ex officio incumberet ministrare aliquod Sacramentum, qui tamen esset in peccato mortali, 30

*Resp.* Sufficeret ei conteri ante administrationem Sacramenti, nec teneretur confiteri, nisi celebraturus.

DVid censendum de eo, qui Eucharistiam porrigeret, seu distribueret in mortali. 31

*Resp.* Peccaret mortaliter toties quoties diuersas hostias distribueret; etsi enim talis Sacramentum non conficiat, Christi tamen corpus, & sanguinem dispensat, estque ad eum actum peculiariter consecratus. De eo autem, qui Diaconatus, aut Subdiaconatus actum exerceret in

mortali Euangelium, aut Epiſtolam cantando ſolemniter aliter ſentiendum eſſet, talis enim actio non eſt Sacramentalis; idemque dicendum de Epiſcopo conſecrante Eccleſiam, aut calices, & a fortiori de Sacerdote concionante, aut de Clerico tangente vaſa, modò abſit contemptus, & ſcandalum; in his enim non eſt ſufficiens materiæ grauitas.

32

LIcetne ab eo ſumere Sacramenta, qui creditur ea dando peccaturus.

Reſp. Diſtinguendo: vel enim ideo miniſter peccabit miniſtrando Sacramenta, quia in peccato eſt, vel quia id ei ob cenſuram aliquam non licet, vel quia non habet neceſſariam iuriſdictionem. In primo caſu poſſum ab eo petere Sacramentum, etſi præuideam eum peccaturum illud mihi miniſtrando in peccato, modò ad id me impellat mea aliqua neceſſitas, aut notabilis vtilitas, ſiue ille meus ſit parochus, ſiue non; quia etſi petitio mea illi futura ſit occaſio peccati, id non mihi, ſed eius malitiæ imputari debet, qui ſi velit, illud mihi ſine vllo peccato conferre poteſt. Quod ſi cōmodè poſſum ab alio Sacramentum ſuſcipere, qui ſine peccato id daturus eſſet, te-

neret ex charitate id facere ad vitandum in alio peccatum. In secundo casu, si Minister sit nominatim excommunicatus non toleratus, aut notorius percussor Clerici, nō licet ob prohibitionē Ecclesiæ vlla vnquā ab eo suscipere Sacramēta, nisi Baptismum, & Pœnitentiam in articulo mortis, ob magnam horum Sacramentorum necessitatem.

Si verò sit excommunicatus toleratus, siue parochus sit, siue alius, habens tamen iurisdictionem, licet subditis petere Sacramenta in casibus supradictis, quia taliter excommunicatos iam non tenemur vitare in administratione, aut susceptione Sacramentorum, modò lex charitatis ad id nos non obliget. In tertio casu non licet a ministro petere Sacramentum, cum id sine peccato ministrare non possit.

QVis est ordinarius Sacramentorum minister.

*Resp.* Solus homo est Sacramentorū ordinarius minister, vt pote qui ad ea ordinariè ministranda solus a Christo Domino institutus est, vt patet ex omnibus locis, vbi Sacramenta instituuntur, de quibus singulis suo loco.



# SECTIO IX.

## DE INTENTIONE *tam ministri Sacramentorum, quam ea suscipientis.*

34 QVænam intentio requiritur in ministro ad valorem Sacramenti.

Sensus quæstionis non est, qualis debeat esse intentio ministri, sed quodnam debeat esse eius obiectum, seu vt ratio Sacramenti essentialiter constet, quidnam debeat velle minister. Quod vt resoluatur, præmittendum ministrum conferentem Sacramentum posse tria intendere 1. facere exteriorem illũ actum. v. c. in Baptismo lauare aliquem, & pronuntiare hæc verba, *Ego te Baptizo &c.* non intendendo vllo modo Sacramentum. 2. Non tantùm facere exteriorem illum actum, sed vlteriùs conferre Sacramentum, seu facere, quod Christus fecit, vel quod

facit Ecclesia. 3. Conferre gratiam, seu effectum Sacramenti. Cum igitur de triplici illa intentione dubitari possit, quænam illarum necessaria sit ad validitatem Sacramenti.

*Resp.* Ad Sacramenti validitatem, non solùm prima, sed etiam secunda requiritur intentio; sic Trid. sess. 7 can. ij. vbi ait, Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit. Adhæc conferens Sacramentum agit vt minister Christi, ac proinde intendit agere, quod ille instituit; instituens autem Sacramentum non voluit externam eius actionem quacunque ratione fieri, sed vt ceremoniam sacram; quare qui nō intendit eam perficere vt talem, non agit vt minister Christi, nec Sacramentum conficit. Non requiritur tamen tertia illa intentio, qua velit explicitè conferre effectum Sacramenti; aliàs enim hæretici nostri temporis non baptizarent, cùm non intendant conferre gratiam, quam in Baptismo conferri negant.

QValis intentio requiritur ad valorem Sacramenti, 35

*Resp.* Intentionem Sacramentum conficiendi posse esse duplicem, conditionatam vnam, absolutam alteram; hanc verò rursus esse duplicem. 1. est remota, ac in causa, seu interpretatiua; & est, quando quis vult rem aliquam non in se, sed in causa; vt si quis sciens se, cum ebrius est, solere proferre verba consecrationis super panem, vellet ebrietatem, vt talis effectus sequeretur; ea enim intentio remotè tantùm influeret in Sacramentum, & proinde non satis esset ad Sacramenti validitatem, debet enim actio Sacramentalis esse proximè humana, cuiusmodi non esset hæc. 2. dicitur Habitualis, & est quando quis v. c. habuit intentionem conferendi Sacramentum nec postea eam reuocauit; tunc enim illa intentio censetur in eo manere habitualiter; vnde si postea dormiens, aut amens illud faceret, diceretur ei illa actio esse habitualiter volūtaria. Et hæc quoque intentio ad validitatē Sacramenti insufficiens est, quia non magis influit in actionē Sacramenti, quā si nullo modo præexstitisset. 3. Actualis, qua quis actu cogitās quid agat, volens Sacramentum administrat; & hæc ad validitatem Sacramenti sufficit; estque omnium præstantissima. 4. Virtualis dici-

dicitur, & est ea, qua quis v. c. vult conferre Sacramentum, & ex vi talis intentionis se operi accingit, lauando manus, induendo se vestibus sacris &c. Licet enim postea distrahatur, etiam in ipso actu consecrationis, verè tamen consecrat virtute talis intentionis; sufficit enim talis intentio virtualis ex omnium consensu, vt humano modo dicatur quis agere, vt patet in aliis actionibus humanis, quas liberè, & humano modo censemur agere, quamuis eas distracti exerceamus. Dicitur autem virtualis, quia cùm actu transeat, manet tamen virtute alicuius impressionis, quam in imaginatione relinquit, & qua excitatur potentia motiua, vt omnes actus initio propositos perficiat, licet tunc homo de aliis cogitet, nisi interrumpatur per contrariam voluntaté, vel ex aliqua occasione superueniente: quo casu cessat intentio virtualis, quam necesse est de nouo repeti ad Sacramenti validitatem. Quod autem attinet ad intentionem conditionatam, vel illa fit sub conditione necessaria, vel contingenti, eaque vel præterita, vel præsenti, vel futura. Si sub conditione præterita, vel præsenti, conferens Sacramentum validè illud conferet, si conditio verè à parte rei sit posita

siue ea sit cōtingēs, siue necessaria; quia intentio conditionata, conditione positâ, transit in absolutā, eique æquiualet: Quod si posita non sit conditio nihil efficiet, quia in tali casu deest intentio conferendi.

Si verò intentio conferendi Sacramentum fiat sub conditione de futuro contingenti, dicendo v. c. *Ego te absoluo, si cras ablata restituas*, inualidè id fiet, quia ex ordinario modò operandi minister vult Sacramentum tunc tantùm esse ratum, quando ponetur conditio, tunc autem materia & forma ampliùs non erunt, & per consequens nec Sacramentum ipsum.

36 AD validitatem Sacramenti debetne intentio ministri ferri in certam aliquam materiam, vel personam.

*Resp.* Debet: colligitur ex formis Sacramentorum, quæ demonstrant certam materiam ac personam. Quod non ita accipiendum est, quasi necesse sit illam ipsam numero materiam, vel personam præsentem esse, quæ putatur præsens, sufficit enim vt ministri intentio feratur in materiam, vel personam præsentem, quæcumque tandem illa sit, adeo-ut si contingat aliam esse personam, quam alioquin ipse existima-

bat, validum nihilominus futurum sit Sacramentum, cùm error ille tantùm sit accidentalis; secus tamen res habet in Matrimonio, vt suo loco dicetur.

QValis intentio requiritur in suscipiẽte Sacramenta. 37

Resp. Quæstio non est hîc de dispositione necessaria ad fructum Sacramenti recipiendum; de ea enim aliàs; sed de intentione, quæ sit necessaria ad essentiam Sacramenti, & sine qua non constet Sacramentum.

Resp. In infantibus non requiritur propria intentio, & consensus, vt pote cuius sunt incapaces: in adulto requiritur intentio suscipiendi Sacramentum; intentio inquam actualis, aut virtualis, hæc in cæteris Sacramentis sufficit, illa in Pœnitentia requiritur: hoc enim differt Pœnitentia a cęteris Sacramentis, quòd qui sacramentaliter absoluendus est, debuerit id petiisse explicitè, peccata sua saltem in genere cõfitendo, sunt enim actus pœnitentis pars Sacramenti huius; Cætera verò Sacramẽta sufficiat implicitè petiisse: vnde qui conteritur, aut atteritur, censetur implicitè pe-

tere Baptiſmum; talis enim dolor includit virtuale propoſitum ſeruandi totam legem Chriſti, ac proinde ſuſcipiendi Baptiſmũ.



## SECTIO X.

### *DE NVMERO, DIgnitate, & neceſsitate Sacramētorum nouæ legis.*



38 QVot ſunt Sacramenta nouæ legis.

*Reſp.* De fide eſt eſſe 7. Sacramenta nouæ legis, nec plura, nec pauciora: illa autem ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimoniũ. Concil Trid. ſeſſ. 7. can. 1. cuius numeri congruentia petitur ex analogia ad vitam corporalem, cui reſpondet ſpiritalis, ad quam promouendam referuntur Cur autem præcisè tot ſint Sacramēta, cùm Chriſtus plura, aut pauciora potuiſſet inſtituere, tota ratio eſt voluntas eius, & inſtitu-

tio, quæ partim ex ſcripturis, partim ex traditione, & definitione Eccleſiæ nobis innotuit.

SVntne omnia Sacramenta æqualis dignitatis. 39

Reſp. Non ſunt, ſed aliud alio præſtátius eſt, ex Triden. ſeſſ. 7. cã. 3. Porrò nobiliſſimum omnium eſt Euchariſtia, quia continet Chriſtum ipſum ſecundùm ſe, qui eſt infinitæ Dignitatis: alia Sacramenta diuerſimodè inter ſe ſe habent, neque vllum eſt ex iis, quod non alteri ſecundũ quid dignitate præſtet. Quænam verò inter alia digniora ſint quoad effectum gratiæ intenſiorem producendum, incertum eſt.

SVntne omnia Sacramenta de neceſſitate ſalutis. 40

Reſp. Nota ſuperiùs dictum eſſe de neceſſitate Sacramentorum abſoluta, & antecedente, ideoque hic agi tantùm de neceſſitate conſequente, ſeu quæ ſupponit eorum inſtitutionem.

Nota item non omnium Sacramentorũ eandem eſſe rationem, ſed nonnulla inſti-

tuta esse ad conferendum aliquem effectũ gratiæ per se ad salutem necessariæ; & hæc dici necessaria necessitate medij: alia verò instituta tantùm esse ad eum effectum augendum, vel conseruandum, & hæc dici necessaria necessitate præcepti tantùm, vt ex quorum omissione non sequatur per se pernicies animæ, sed tantùm per accidẽs, seu ratione præcepti. His positis.

*Resp.* I. Vsus Sacramentorum Baptismi Pœnitentiæ, & Ordinis necessarius est necessitate medii ad salutem, aliorum verò quatuor est vtilis tantùm. Baptismus enim est omnibus necessarius, qui contraxerunt peccatum originale; Pœnitentia omnibus, qui peccatum aliquod actuale mortale, ita-ut sine illis salutem consequi non possint: Ordo autem, licet singulis necessarius non sit, est tamen toti multitudini necessarius: Cætera verò 4. cum gratiæ augmẽtum conferant, non potest eorum vsus nõ esse vtilis ad salutem.

*Resp.* 2. Vsus Sacramentorum aliquorum nouæ legis necessarius est necessitate præcepti omnibus adultis. Patet ex iis verbis Ioa. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Ioa. 6. *Nisi manducaueritis carnem, &c.* & Ioa. 20.

*Quorum remiseritis peccata, &c.* Ad hæc Ordo, & Matrimonium, quamuis non ſint ita neceſſaria ſingulis, ſunt tamen neceſſaria toti communitati. De alijs, quia peculiaris eſt difficultas, ea alibi explicabitur.





# CAPVT II.

## DE BAPTISMO.

## SECTIO I.

### *DE NOMINIBVS BAPtismi, natura, & institutione.*



1 QVÆ sunt huius Sacramēti appellationes.

*Resp.* Catholicorū vsu trita est illa appellatio, qua Baptismus dicitur, à voce græca *Baptisma*, quæ ablutionem, & immersionem significat. Preterea verò ratione diuersorum effectuū, tam à scriptura, quàm à patribus varia sortitur nomina: hinc *Lauacrum regenerationis* dicitur, *Circumcisio non manu facta, illuminatio, Sacramentum fidei, donum, Vnctio, &c.*

QVid eſt Baptiſmus. 2.

Reſp. Variè varij Baptiſmum deſinierunt; Probatur inter alias definitiones ea, quam habet Catechiſmus Triden. ſcilicet, *Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis per aquam, in verbo vitæ.* Quanquam etiam non diſplicet hæc, in qua quatuor eius cauſarum genera explicantur: *Baptiſmus eſt Sacramentalis ablutio hominis, ſub præſcripta forma verborum, ex Chriſti inſtitutione, in regenerationem ſpiritalem.*

FVitne Baptiſmus a Chriſto inſtitutus ante Paſſionem eius. 3.


Reſp. Sacramentum Baptiſmi, quale nunc eſt in Eccleſia, hoc eſt verum, & proprium Sacramentum, conſtans ablutione aquæ, & inuocatione Trinitatis, vimque habens conferendi gratiam, fuit a Chriſto inſtitutum ante paſſionem. Ratio eſt, quia Chriſtus ante paſſionem dicitur baptizaſſe Ioa. 3. At ex capite ſequenti conſtat Chriſtum per ſe non baptizaſſe, ſed per diſcipulos, qui proinde non niſi eius authoritate, & mandato baptizabant, ergo erat iam Chriſti Baptiſmus inſtitutus, alioqui ſi Ioannis Baptiſmo baptizaſſent, po-

tius diceretur in illis Ioannes baptizasse, quāChristus: Atqui Baptismus Christi cōferebant gratiam fatente Ioanne baptista *Hic est qui qui baptizat in Spiritu Sancto*, neq; decuisset Christū instituere, aut vsurpare ceremoniam inanem, ergo Baptismus ille verum erat, & proprium Sacramentum &c. Verisimile autem est eius institutionē proximè subsecutam fuisse eum Baptismum, quo a Ioanne Christus baptizatus est.



## SECTIO II.

## *DE MATERIA ET FORma Baptismi, aliisque ad eum pertinentibus.*

4  Væ est materia Baptismi.

*Resp.* Materia Baptismi remota est aqua vera, & naturalis, seu elementaris. Ita Trid. sess. 7. can. 2, de Baptismo. Illa enim sola aqua est aqua vsualis, & quæ vbique in promptu esse solet; de eàque intelligendus

eſt Chriſtus Ioa. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* vt docet idem Trid. Nec obſtat illud Math. 3. *Qui poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit in ſpiritu Sancto, & igni*; non enim de materia Baptiſmi, ſed de eius effectu locus intelligendus eſt, de feruẽte nimirum charitate, quæ inſtar ignis cor accendit, & peccati ſcoriam decoquit. Porrò materia huius Sacramenti eſſe non poſſunt aquæ omnes adulterinæ, cuiuſmodi ſunt liquores ex plãtis, aut herbis vi caloris, aut quouis alio modo expreſſi; etſi enim appellentur nomine aquæ, non ſunt tamen aqua ſimplex, & elementaris, ſed potiùs mixta quædam diuerſæ naturæ ab aqua: eademque eſt ratio de ptiſana, ceruiſia, iure carnium &c. quando præſertim tanta facta eſt permixtio quarundam rerum, ex quibus componuntur, vt ſpecies aquæ mutata ſit. Multò minùs Baptiſmus conferri poteſt in ſudore, pituita, ſputo, lacrymis, vrina: hæc enim non ſunt eſſentialiter aqua; Quanquam neque hoc ſatis eſt, vt aliquid poſſit eſſe actu materia huius Sacramẽti, ſed inſuper requiritur, vt adhiberi poſſit ad abluẽdũ; quò fit vt ex niue, grãdine, glacie quandiu non reſoluuntur, Sacramẽtum cõſtare non poſſit. Interim quod ad praxim at-

tinet, licet Baptiſmus in quibuſdam rebus impuris validè adhiberetur, ſemper tamen quantùm fieri poteſt, vtendum aqua pura, & naturali, itaut peccaret grauiter, qui ſecus faceret, niſi neceſſitas vrgeret; tunc enim, etſi dubitaretur, an aqua eſſet elementatis, poſſet quis eam adhibere ſub cõditione; quo caſu iterandum eſſet Baptiſma ſub conditione, ſi fieri poſſet, & ſuppeteret copia aquæ veræ, & elementaris, ob periculum nullitatis prioris Baptiſmi.

Qværnam eſt forma Baptiſmi.

Reſp. Hæc, *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Amen.* vd definit Concil Florent. & indicant verba illa Math. 28. *Baptizantes eos &c.* De cuius formæ eſſentia eſt, vt in ea exprimatur ipſa baptizantis actio, non tamen directa expreſſio perſonæ miniſtri; valet enim hæc forma Græcorũ ex Florent. *Baptizetur ſeruus Christi &c.* Multò minùs requiritur ad eſſẽtiam Sacramenti pronomen *Ego* quamuis ob conſuetudinem Eccleſiæ omittendum non ſit. Item de eiuſdem formæ eſſentiæ eſt, vt exprimatur perſona baptizanda, vt ſuperiùs indicauimus, nec non inuocatio explicita trium perſonarum, *Patris, & Filij;*

*& Spirit° sācti*. cuius ratio, præter institutionē Christi est, quia Baptismus est Sacramentum fidei, quod proinde conuenit per expressam trium personarum inuocationem dari: quod enim nonnulli volunt Baptismum olim tempore Apostolorum collatū nomine solius Christi, falso nititur fundamento, cùm baptizari nomine Christi in scriptura idem sit, ac baptizari authoritate Christi, siue baptismo à Christo instituto. Item vt dicatur *In nomine*, non autem *In nominibus*, quia significaretur diuersa essentia, & virtus omnium personarum. Crediderim verò non vitiari essentiam Sacramenti, si præpositio *In*, vel coniunctio *Et*, omittatur, quia sine illis sensus formæ satis constat.

QVæ est materia proxima Baptismi.

*Resp*. Ablutio est materia proxima, ac necessaria huius Sacramenti: Math. vltimo. *Baptizantes eos &c.* ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ &c.* per lauacrum enim intelligitur ablutio. Ad hæc communis sententia est Baptismum, sicut alia Sacramenta (excepta Eucharistia) consistere in vsu quodam, non autem in re permanēte; quare non consistit in aqua, sed in eius vsu, seu

applicatione. Etsi autem ablutio fere sẽper fiat fluxu quodam aquæ circa corpus, id tamen non est necesse ad validitatem Sacramenti; sufficit enim ipsum quibusdam aquæ guttulis irrorari, etsi in eadem parte sistant, in quam deciderunt.

7 QVanta, & qualis pars corporis debet ablui.

*Resp.* : Certum est aliquam corporis partem tangi debere ab ipsa aqua, atque ita nullo modo baptizari puerum vestibus tectum, aut ita adhuc in vtero materno cõclusum, vt nulla arte aqua ad eum vsque peruenire possit; secus si vel capilli tantùm madefiant: cum sint pars corporis: quanquam in hoc casu censuerim repetendum Baptismum sub conditione ob maiorem securitatem. Itẽ sufficere si abluatur caput, pectus, humeri, aliaue similis pars principalis, quia secundùm communem loquẽdi modum, si talis pars abluatur, verè potest homo dici ablutus: Si verò contingat extremum tantùm manus, aut pedis digitum ex vtero exeri & ablui, ob periculum mortis, sub conditione Baptismus iterandus erit, si postea infans totus ex vtero prodeat.

AD validitatem Baptiſmi ſufficit ne quantumuis exigua aquæ quantitate hominem aſpergi. 8

*Reſp.* Poſſet eſſe tam exigua quantitas, vt dubium eo caſu redderet Baptiſmum, ac ea propter eſſet ſub conditione iterandus, ſi ſic baptizatus ſuperuiuat: vrgente tamen neceſſitate poſſet, & deberet vel vnica aquæ guttula extremus digitus aſpergi, ſi maior copia deeſſet; ſed huiuſmodi caſus perraràs eſt in praxi.

FItne neceſſariò Baptiſmus per immerſionem. 9

*Reſp.* Ad validitatem Baptiſmi ſufficit quæuis ablutio, ſiue fiat per immerſionem baptizandi in aqua, ſiue per infuſionem, ſiue per aſperſionem In praxi tamen ſeruanda eſt vniuſcuiuſque Eccleſiæ, ſeu prouinciæ conſuetudo: contra quam ſi quis faceret ſine contemptu, & ſcandalo, peccaret tantùm venialiter: immo ſi ſubeſſet cauſa legitima talis mutationis, vix vllo modo peccaret.

10 EStne trina mersio de necessitate Baptismi.

Resp. Non est: quamuis enim trina mersio distinctiùs significet tres dies sepulturæ Christi: vnica tamen mersio absolutè significat sepulturam ipsam; quod satis est: modò enim adsit significatio gratiæ, de alia multùm laborandum non est.

11 POtest ne Baptismus iterari.

Resp. Baptismus legitimè semel collatus nunquam potest ita repeti, vt validus sit. Trid. sess. 7. cā. ij. Accedit scriptura Ephes. 4. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma*; ac tandem ratio, quia præterquamquod Baptismus imprimit caracterem indelebilem, est spiritualis quædā natiuitas: quare sicut non nisi semel homo nascitur corporaliter, sic nec spiritualiter.

QVid faciendum, cum dubitatur, an alicui fuerit collatus Baptismus.

12 Resp. Quocūque modo dubitetur, Baptismus sub conditione iterandus est.

Quam

QVam pœnam incurrunt, qui ex certa scientia rebaptizant, vel rebaptizantur. 13

Resp. Tam rebaptizans, quam rebaptizatus iure ciuili plectitur pœna mortis: Iure autem Ecclesiastico, irregularitate.

QVæ sunt Baptismi Ceremoniæ. 14

Resp. 1. Est Catechesis adultorum. 2. Exorcismus. 3. immissio salis in os. 4. apertio aurium cum saliua. 5. pectoris & scapularum vnctio cum oleo benedicto, 6. Interrogatio vtrùm abrenuntiet Diabolo. 7. Impositio nominis. 8. Datur osculum baptizato, cereus accēsus, vestes albæ. &c.



## SECTIO III.

### *DE VARIA ACCEPceptione Baptismi, & veri Baptismi ministro.*

QVotuplex est Baptismus? 15

Resp. Triplex scilicet aquæ, seu fluminis, flaminis, & san-

guinis. Primus duntaxat est Sacramētum, & verè, ac propriè Baptismus, alia duo metaphoricè tantùm, & impropriè; quatenus scilicet ab illis effectus aliquis proficiscitur, qui est similis effectui Baptismi, cuius defectum supplent in necessitate, quādo nimirum ille nondum susceptus est. Hinc qui ad martyriū rapitur, priùs quàm baptizari possit, dicitur baptizari in sanguine suo, & qui, cum non suppetat ei copia Baptismi, in extrema necessitate saltē conteritur, dicitur saluari in voto Baptismi, quia nimirum ea contritio, quæ dicitur Baptismus flaminis, continet votum Baptismi.

16 QVis est Baptismi minister.

*Resp.* Quilibet homo ratione prædicus, vir, fœmina, fidelis, infidelis, adultus, puer, &c. potest validè Baptismū conferre, modò vtatur debita forma, materia, & intentione. Ita clarissimè definitum est a Florent. in decreto de Armenis.

17 QVis habet ius Baptismum conferendi ex officio, seu tanquam ordinari° eius minister.

*Resp.* Soli Episcopi, & Sacerdotes cō-

ſecrati: Illi quidem, quia vt principes ſunt Eccleſię, ita aliquem in eandem admittere, vt eius priuilegiis in poſterum fruatur, pro ſuo iure poſſunt: hi verò, quia in ordinatione ſua poteſtatem accipiunt adminiſtrādi ex officio Sacramenta Euchariſtiæ, pœnitentiæ, extremæ vnctionis, & conſequēter Baptiſmi: quod tamen, vt licitè fiat extra neceſſitatem, neceſſe eſt, vt iuriſdictio ab Epiſcopis ad eos deriuetur, quod fit dum iis cura animarum committitur: alioqui peccant grauiter Sacerdotes, qui cum paſtores non ſint, ad miniſterium Sacramentorum citra neceſſitatem ſe ſe ingerūt, in eoque ius alienum vſurpāt. Quod a fortiori dicendum eſt de aliis Sacerdote inferioribus.

COmpetitne Diacono officium baptizandi. 18

*Reſp.* Non eſt proprium Diaconi officium baptizare: patet ex Florent. loco citato, & docet apertè Gelaſius Papa, qui, vt refertur. c. Diaconus 39. diſt. de Diaconis, ait, *Abſque Epiſcopo, vel Presbytero baptizare non audeant*; Ex quibus verbis colligere licet, poſſe hoc munus ex iuſta cauſa committi Diacono: vnde etiam in ordinatione

Diaconi dicitur, *Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare*: quibus ostenditur eum aliquo modo ordinari ad Baptismum ministrandum, scilicet ex commissione Episcopi, vel Presbyteri, qui ex iusta necessitate (non extrema tamen) possunt hanc ei prouinciam demandare, vt si sacerdos ob baptizandorum multitudinem, vel infirmitatem, aliaue graui de causa huic muneri facere satis non possit: aliis verò Diacono inferioribus extra necessitatem, ne quidem ex commissione Episcopi baptizare licet.

19 CVm quis est in necessitate baptizandus, quem ordinem astantes in ea reseruare debent.

Resp. Hoc officium digniori deferri debet; ita-ut non baptizatus cedat baptizato, mulier baptizata viro laico baptizato, Laicus Clerico, Clericus inferior superiori: Quare simplex Sacerdos grauiter peccaret, qui in extrema necessitate baptizaret, repugnante, vel inuito proprio Sacerdote, ob irreuerentiam grauem, tum erga ordinem sacerdotalem, tum erga ipsum Sacramentum: Secus, si hic cederet iuri suo: Idéque dicendum de laico, vel quo-

cunque alio inferiori clerico, qui baptizaret præſente Sacerdote, non tamen fieret irregularis, niſi ſolemniter bapizaret: Idẽ quoque iudiciũ faciẽdũ volunt nõnulli, ſi Diaconus ab inferioribus prætermittatur: Inter homines autem inferiores, ſi ſuperiores abſint, eſſet tantùm veniale hũc ordinem inuertere, quia eiuſmodi indecẽtia non eſt ita grauis; immò nullum eſſet, ſi vir eſſet valde idiota, mulier verò valde perita formæ Baptiſmi.

CVinam liceat ex officio baptizare cum ſolemnitate. 20

*Reſp.* Licet Sacerdoti ex officio baptizare cum ſolemnitate, cum eiuſmodi actus non poſſit non eſſe a Poteſtate ordinis Sacerdotalis: Diacono verò licet ex delegatione iuſtam ob cauſam, quæ cùm non ſit grauis neceſſitas ( in hac enim poteſt baptizare abſque commiſſione ) & ſine graui neceſſitate non poſſit omitti ſolemnitas Baptiſmi, ſequitur ei poſſe committi Baptiſmum ſolemnem.

QVæ pœnæ ſtatutæ ſunt in eos, qui cùm non poſſint baptizare, nihilominus baptizant. 21

Resp. Qui extra necessitatem priuatim baptizat, cùm non possit, nullius pœnæ, aut irregularitatis obligationem incurrit. Qui verò solemniter baptizat, si clericus sit inferior, irregularitatem incurrit, (nisi ignorantiâ excusetur) Neque eum vlla necessitas excusat; nulla enim vnquam est necessitas baptizandi cum solemnitate. Ita statuitur c. 1. *De Clerico non ordinato ministrante.* De Laico idem sentiendum.



## SECTIO IIII.

### *DE NUMERO BAPTIzantium & baptiZandorum.*

22 POssuntne plures vnum baptizare.

Resp. Variæ in hac quæstione inuoluuntur difficultates: vel enim ita à duobus conferretur Baptismus, vt vnus ablueret, alter verò formam proferret, & vterque haberet veram intentionem baptizandi: vel ita baptizarét,

vt vno abluente, & ſimul proferente hæc verba, *Ego te baptizo*, alter adderet, *In nomine Patris*, *&c.* Vel itaut vterque ſimul ablueret, & pronuntiaret totam formam Baptiſmi, eſſetque ita affectus, vt nollet baptizare tanquam totalis miniſter, ſed partialis dicendo *Nos te baptizamus*, *&c.* Vel contra, vt vterque abluendo, & formam pronuntiando, intenderet per ſe abſolutè, vt cauſa totalis integrè Sacramentum conferre dicendo. *Ego te baptizo*, *&c.* Atque hi ſunt præcipui modi, quibus plures eundem poſſunt velle baptizare; cæteros breuitatis cauſa prætermitto.

R*eſp* In 1. caſu inualidè conferretur Baptiſmus; quia qui diceret *Ego te baptizo*, falſum diceret, cum ipſe in hoc caſu non baptizaret, ſed alter. In 2. caſu inualidus etiam futurus eſſet Baptiſmus; quia cùm verba illa non pertinerent ad eandem propoſitionẽ, non determinarent, vt par eſt, actionẽ baptizãdi, tãquã ab eo exercitã qui abluit: quare & ſi retinerẽt materialẽ quãdam ſignificationem Trinitatis, non tamen ſignificarent Trinitatem, vt baptizantem authoritatiuè, quod fit, dum proferũtur ab eo, qui dicit, *Ego te baptizo*, *&c.* In 3. neque valeret Baptiſmus, quia ambo ha-

berent intentionem contrariam institutioni Christi, qui voluit vnam ablutionẽ, vnãque formam ab vno ministro pronuntiatã vnum efficere Sacramentum; quod colligitur ex vsu totius Ecclesiæ, quæ semper ita se gessit, & ex modo significandi formæ ipsius, quam qui profert, significat se applicare quicquid ad essentiam Sacramẽti requiritur. In 4. valeret Baptismus, si simul ponerentur omnia essentialia Sacramento: quod faciliùs defenderetur ab iis, qui volunt Sacramenta non esse causas Physicas gratiæ, sed moraliter tantùm ad eam concurrere. Patet autem responsio a simili, recens enim creati Sacerdotes simul concurrunt cum Episcopo ad consecrationem: Neque inde sequeretur eundẽ bis baptizari sed baptizari duplici Baptismate, aut quod magis arridet alijs vnico, quod non est improbabile.

23 POstne vnus plures simul baptizare.

*Resp.* Potest vnus plures validè baptizare, dicendo, *Ego vos baptizo, &c.* quod tamen non licet sine graui necessitatẽ, vt cùm pluribus imminet mortis periculum, citra quam necessitatem, esse peccatum mortale, cùm fieret contra ritum

ab Ecclesia receptum.

SI vnus plures baptizaret, essentne plu- 24
ra Sacramenta, vel vnum.

*Resp.* Essent in eo casu tot Sacramẽta, quot essent baptizati: essent enim plures ablutiones; forma verò licet vnica esset, æquiualeret tamen his pluribus, *Ego te baptizo,* & *Ego te baptizo, &c.*



## SECTIO V.

## *DE PATRINIS, EORUM numero, & obligatione.*

REquiritur ne aliquis in Baptismo qui Baptizatum de sacro fonte leuet. 25

*Resp.* Requiritur, quia baptizatus quasi paruulus modò genitus pædagogo indiget, a quo in rebus fidei instruatur: hoc autem incumbit susceptori, qui proinde vocatur à patribus fidei doctor, atque etiam susceptor, qui eum in suam Fidem, ac disciplinam instituendum suscipit. Ab hoc onere excluduntur quædam personæ,

nimirum infideles & non baptizati (intellige etiam hæreticos) Abbates, Monachi, vel moniales, parentes, qui si huic rei se immisceant, contrahunt impedimentum cognationis, modò necessitas eos ad hoc non compulerit. Susceptorum numerum præscripsit Trid. sess. 24. c. 2. de reformatione, nimirum, vt ad summum duo, scilicet vir, & fœmina adhiberentur, voluitque si plures adhiberentur, duos ex iis solùm à parocho designari, inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter Baptizantem, & Baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur. Quod si parochi culpa plures adhibiti, aut designati fuerint, iubet Concilium eum puniri arbitrio ordinarij.

26 Quæ sunt Susceptoris munera.


*Resp.* Primum est, vt baptizatum suscipiat de manu baptizãtis, quasi suæ curæ, & fidei commissum. Secundum vt eum instruat, vel instruendum curet de rebus ad fidem, & ad mores pertinentibus. Ab hac cura communiter excusantur susceptores, quando non desunt parentes, vel præceptores Catholici, a quibus probabiliter

crediturpuer inſtruendus.



# SECTIO VI.

## DE NECESSITATE Baptiſmi ad ſalutem, & de tempore illius ſuſcipiendi.



QVa ratione Baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem. 27

Nota quæſtionem hanc intelligendam eſſe extra caſum martyrij: ſi quis enim Martyrium ſubiret ante Baptiſmum re ipſa ſuſceptum, illud ſuppleret Baptiſmum aquæ. Nota 2. duo eſſe, de quibus præcipuè digladiantur inter ſe autores. 1. an Baptiſmus re ipſa ſuſceptus ita ſit infantibus ad ſalutem neceſſarius, vt ad eam conſequendam nullum aliunde poſſit iis peti ſubſidium. 2. an adultis ita Baptiſmus ſit neceſſarius, vt iis non ſatis ſit Baptiſmi votum, quod in actibus amoris, vel contritionis continetur. His poſitis.

*Reſp.* 1. Baptiſmus in re, vel voto ſuſceptus eſt omnibus neceſſarius neceſſitate

medij ad ſalutem. Eſt de fide, Trid. ſeſſ. 7. can. 5. & probatur ex eo loco Ioa. 3. vbi Chriſtus generatim dicit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei.* ex quo loco deſumitur hæc ratio, quæ rem concludit. Omnes naſcuntur in peccato originali, & filij iræ, at nemo poteſt ſalutem conſequi, niſi priùs liberetur ab eo peccato, Nam nihil coinquinatum introibit in regnum cœlorum: Remedium autem a Chriſto in noua lege ad hoc inſtitutũ eſt Baptiſmus, Baptiſmus igitur alterutro ex illis modis eſt neceſſarius ad ſalutem.

*Reſp.* 2. De lege Dei ordinaria infantibus ad ſalutem neceſſarius eſt Baptiſmus re ipſa ſuſceptus. Sequitur ex dictis; Omnes enim omnino infantes naſcuntur in peccato originali, cui tollendo remedium aliud non ſuppetit, quàm Baptiſmus.

*Reſp.* 3. Adultis ad remiſſionem peccati originalis ſufficit Baptiſmi votum ſuo tempore ſuſcipiendi. Fide certum eſt, ſcriptura enim ſalutem, & gratiam promittit verè pœnitentibus, & diligentibus Deum. Ezech. 18. *Cõuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Ioa 14. *Qui diligit me, diligetur a patre, &*

*ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum &c.* Adde quod facienti quod est in se per gratiam actualem, Deus non denegat habitualem gratiam: Cui vero non suppetit copia Baptismi, si conferatur, si amet Deum &c. censetur facere quod in se est:

*Resp.* 4. Adulti omnes speciali præcepto tenentur suscipere Baptismum, obligatione, inquã, distincta ab ea, quæ sequitur necessitatem medij. Commune enim est axioma Theologorum, ea omnia esse in præcepto, quæ sunt necessaria necessitate medij ad salutem, in iis saltem rebus, quæ in actu aliquo nostro positæ sunt. Quod ad pueros attinet, cùm præcepti capaces non sint, nisi per voluntatem parentum, tenentur eorum parentes ex vi eiusdem præcepti, Baptismum iis procurare, saltem in casu necessitatis: Immo cum consuetudo Ecclesiæ vbique approbata habeat, vt non expectetur eorum ætas adulta, incumbere videtur parentibus, vt quam primùm commodè possunt, curent liberos suos baptizari, si non vi præcepti diuini, saltem vi Ecclesiastici.

SI cui desit facultas Baptismi suscipiendi satisne erit ei saluti suæ consequendæ, 23

votum Baptiſmi implicitum.

*Reſp.* Votum implicitum Baptiſmi, quod amoris, vel contritionis actibus continetur, ſufficit ad gratiã, & remiſſionẽ peccatorũ, nec non ad gloriam re ipſa conſequendam. 1. pars probatur ex Trid ſeſſ. 6. c. 6. & 7. vbi docet contritionem eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam: In contritione autem non continetur votum Baptiſmi, niſi implicitè, in quantum ſcilicet is, qui perfectè dolet de peccatis propter Deum, eumque perfectè diligit, ita diſpoſitus eſt, vt ſi poſſet, & ſciret ſe obligatum ad Baptiſmum ſuſcipiendum, illum reuera ſuſciperet. 2. probatur, ad gloriam enim conſequendam ſufficit, vt quis in gratia ad mortem vſque perſeueret, at hoc fieri poteſt ſine formali voto Baptiſmi. Dixi autẽ, votũ implicitũ Baptiſmi, quod amoris, vel contritionis actibus continetur, quia quodcunque aliud, ſiue implicitum, ſiue explicitum non ſufficit ad ſalutem conſequendam. Ratio eſt, quia vt votum Baptiſmi ſufficiat ad ſalutem, requiritur vt hominem proximè diſponat ad gratiam recipiendam, ac eundem proinde auertat a peccato, & ad Deum conuertat: hoc autem ſoli illi voto conuenit, quod coniun-

gitur cum actibus amoris, vel contritionis.

QVo tempore Baptiſmus cepit eſſe ad ſalutem neceſſarius. 28

*Reſp.* Poſt ſufficientem Euangelij promulgationem, quæ videtur facta in Pentecoſte. Hoc videtur eſſe ad mentem Trid. ſeſſ. 6. c. 4.

QVo tempore Catechumeni adulti diuino, vel Eccleſiaſtico præcepto ad Baptiſmum teneantur. 29

*Reſp.* Quiuis adultus iure diuino tenetur ſuſcipere Baptiſmũ quamprimùm commodè fieri poteſt, vel ſaltem non multo tempore differre; vt enim quiſque poſt fidem ſibi ſufficienter propoſitam tenetur ilico interiùs credere, Ita tenetur exteriùs vitam Chriſtiano dignam profiteri. poſſet tamen ex cauſa legitima differri, ſecundùm iudicium viri prudentis. Quod attinet ad ius Eccleſiaſticum, nullam Eccleſia legem ferre potuit per ſe, ac directè obligantem adultos non baptizatos ad Baptiſmũ certo aliquo tẽpore ſuſcipiendũ, vt enĩ perſpicuè docet Trid. ſeſſ. 14. c. 2. Eccleſia in nemĩnẽ iudicium exercet, qui non priùs

in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſus.



## SECTIOV II.

## *DE DISTOSITIONE adultorum accedentium ad* Bap*tiſmum.*

31 QVæ diſpoſitio requiritur in adulto ſuſcipiente Baptiſmum.

R*eſp.* Hac de re dictum eſt, vbi de Sacramentis in genere.

32 AN peccatoribus Baptizandis imponẽda ſunt opera ſatiſfactoria,

R*eſp.* Non, quia per Baptiſmũ, per quẽ aſſimilamur perfectè morti Chriſti, ſimul cum culpa remittitur omnis pœna ei debita.

33 PEccatores ad Baptiſmum accedentes, teneturne ſua peccata confiteri,

Reſp.


Reſp. Si loquamur de Confeſſione Sacramentali, ea ante Baptiſmum nec debet, nec poteſt eſſe, quia peccata ante illum non poſſunt eſſe ſubiecta clauibus Eccleſiæ; Si verò loquamur de confeſſione interiori, quæ ſit recogitatio quædam peccatorum iu eum finem, vt quis conuenientem de iis dolorem in ſe excitet, talis confeſſio inB aptizando requiritur.

REquiriturne ex parte baptizati intentio ſuſcipiendi Sacramentum Baptiſmi. 34

Reſp. Ad validitatem Baptiſmi in adulto requiritur vera, & poſitiua intentio illum ſuſcipiendi; quia nemo vtens libero arbitrio in Eccleſiæ cœtum admittitur, niſi voluntariè. Non eſt tamen neceſſe, vt intentio illa eo ipſo tempore, quo Baptiſmus ſuſcipitur, ſit formalis, & explicita, ſed ſufficit virtualis, quæ cenſetur adeſſe, quando præceſſit intentio formalis ſuſcipiendi baptiſmum, nec ea per actum contrarium reuocata eſt, Sub intentione autem ea cõtinetur, quam externa vis, aut metus extorſerit, vt pote quæ ſit abſolutè voluntaria.

35 REquiriturne fides ex parte baptizati.

*Resp.* Ad fructum, & effectum Sacramenti consequendum, necessaria est in baptizato recta in Deũ fides; sine fide enim impossibile est placere Deo: ad Sacramenti tamen validitatem, eam non esse necessariam docet Ecclesia, quæ censet hæreticos validè baptizari, seque ea de causa in eos ius acquisiuisse,



## SECTIO VII

### *DE BAPTISMO PARuulorum, furiosorum, amentium &c.*

36 SVnt ne pueri baptizandi.

*Resp.* Pueri ante vsum rationis capaces sunt Baptismi. Ita Trid sess. 7. can. 13. & patet ex Circũsione, quæ cum esset figura præparatoria baptismi, pueris octauo a natiuitate

die dabatur. Adde pueros capaces eſſe, tum vt iis peccatum originale remittatur, tum vt fiant membra Eccleſiæ, vnde ſequitur conſultiſſimum eſſe eos baptizari, antequam ratione vti poſſint, laudabilemque eſſe conſuetudinem Eccleſiæ, quæ perpetuò in ea viguit eos baptizandi.

VT puerorum Baptiſmus validus ſit, requiriturne parentum conſenſus. 37

*Reſp.* Non requiritur: Confirmatur authoritate Auguſt. epiſtola 23, vbi ſic habet; *Nolo illud te fallat, vt exiſtimes reatus vinculum ab Adam tractum aliter non poſſe diſrumpi, niſi paruuli ad recipiendam Chriſti gratiam a parentibus offerantur.* Illud quoque inde perſpicuum redditur, quia adſunt omnia neceſſaria ad Baptiſmum, materia, forma, & intentio miniſtri.

POſſuntne baptizari infantes infidelium inuitis parentibus. 38

*Reſp.* Non licet infantes filios infidelium non baptizatorum, inuitis parentibus baptizare. Si enim baptizarentur, deberent abſtrahi ab educatione, & conſortio parentum, ne eos rurſus ad infidelitatem per-

traherent cum Baptiſmi iniuria: at illud ſine parentum iniuria fieri nequit qui iure naturæ habent ius educandi apud ſe ſuos liberos; quare cum parentum iniuria baptizarentur. Si tamen alteruter conſentiret, aut eſſet fidelis, aut filius eſſet ita extra omnem parentum poteſtatem, vt nunquam ad eos rediturus crederetur, aut mancipij filius, aut eſſet in certo periculo mortis, & ſine vi parentibus inferenda ſecretò ei prouideri poſſet, poſſet ei Baptiſmus adhiberi.

39 SVntne pueri in maternis vteris poſiti baptizandi.

*Reſp.* Pueri non poſſunt baptizari, quandiu maternis vteris continentur, quia regulariter loquendo non poteſt ad eos aqua peruenire: Si tamen arte aliqua poſſent aqua perfundi, id ſatis eſſet ad Baptiſmum. Quare non eſt neceſſe, vt quidam falsò arbitrantur, vt priùs naſcatur puer, quàm vt per baptiſmum renaſcatur; ſufficit enim ea natiuitas, qua quis per vnionem animæ cum corpore, ex non homine fit homo.

40 LIcetne matrem viuentem aperire? vt fœtus, qui creditur periclitari, erua-

tur, & baptizetur.

*Reſp.* Matrem innocentem, etiam id vltrò ferentem, non licet occidere, vt proles poſſit baptizari; quamuis certò conſtet vtrumque ante partum moriturum: nunquam enim ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Poſſet tamē iam aliunde à Iudice condemnata aperiri, ſi timeretur ne illa ante partum ex aliquo morbo cum prole interiret.

SVnt ne furioſi, & amentes baptizandi. 41

*Reſp.* Si nunquam ratione vſi ſunt, baptizandi ſunt: Idem enim eſt de iis iudicium, ac de infantibus; Si verò aliquando iudicij vſum habuerunt, & tum voluerint baptizari, baptizandi ſunt, niſi ſperetur futurum, vt ante obitum capaces ſint iudicij; ſecus ſi nullam talis voluntatis ſpeciē præ ſe tulerint: Nemo enim adultus cenſetur de ſtatu ſalutis ſuæ diſponere, niſi volens.

POteſt ne baptizari, adultus, a natiuitate ſurdus, & mutus. 42

*Reſp.* Talis nutibus, & ſignis de Deo, rebuſque fidei, de Pœnitentia, & Baptiſmo

pro viribus instruendus est, & baptizandus Quod si insuper cæcus is sit, amentium loco habendus est, de quibus supra.



# SECTIO IX.

## DE BAPTISMI EFfectibus, & ceremoniis.

43 QVi sunt Baptismi effectus.

*Resp.* 1. Per illum remittuntur omnia peccata, id est tam originale, quàm actualia, mòdò sit legitima dispositio in suscipiente. Ita Concil. Floren. & Trid. & Ratio est, quia baptismus est perfecta quædam regeneratio, per quam regeneramur Christo, & commorimur peccato, quod perfectè non fieret, nisi omnia omnino peccata virtute illius nobis remitterẽtur. 2. remittitur quoque omnis omnino pœnæ reatus, quæ baptizato decreta est à Deo ob peccata ipsius, hoc enim priuilegium decet primordium vitæ spiritualis. De pœna autem luenda

respectu Reipublicæ aliter sentiendum. Ad Irregularitates Ecclesiasticas quod attinet, quædã tolluntur per baptismũ, vt sunt eæ, quæ contrahuntur propter delictum : aliæ non tolluntur; vt quæ contrahuntur ob defectum significationis, vt ex bigamia, vel quòd aliquis natus sit ex illgitimis parentibus: Item non tolluntur pœnalitates, seu defectus, quos incurrimus ex originaria culpa; cuiusmodi sunt fomes peccati, passibilitas corporis, morbi, dolores, mors &c. quæ nobis ad agonem, & luctam relicta sunt in hac vita, auferenda in futura. 3. Per baptismum infunduntur gratia, & virtutes, tam paruulis quã adultis; nunquã enim fit iustificatio sine infusione gratiæ, & virtutum saltem theologicarum, scilicet fidei, spei, & charitatis ex Trid. sess. 6. c. 7. Confert etiam Baptismus auxilia quædam actualia gratiæ, tum ad superandum fomitem, tum ad alia munera meliùs, ac faciliùs obeunda; qualis sunt susceptio Sacramentorum, obseruatio mendatorum legis diuinæ, & Ecclesiasticæ. 4. in baptismo confertur Caracter; ratione cuius est irreiterabilis 5. Baptismus aperit regnum cœlorum, quatenus remittendo totam pœnam simul cum culpa, remouet impedimentum in-

gressus illius, quod conuenit Baptismo, vt est instrumentum passionis Christi iam nobis exhibitæ.

44 Consequiturne Baptismus suum effectum fictione recedente.

Vt hoc intelligatur. Nota duplicē esse fictionem, vnam, quæ impedit validitatem Baptismi, vt cùm quis simulat se velle recipere Baptismum, cùm reuera nolit, sed intendat tantùm iocari. Aliam, quæ licet non impediat Baptismi validitatem, impedit tamen præcipuum eius effectum, qui est gratia, vt cum quis indispositus accedit ad Sacramentum; talis enim fictè dicitur ad illud accedere, quia nec verè legitimè dispositus ad illud accedit, nec eius effectū accipit, sed quodammodo fingit se vtrumque facere. Repetendum quoque ex alibi dictis, ad effectum gratiæ baptismalis obtinendum, requiri in adultis voluntatem suscipiendi Baptismum; Item veram, ac supernaturalem fidem; Item in eo, qui cum peccato originali adiunctum habet peccatum aliquod actuale, necessariam esse saltem attritionem supernaturalem. Notandum denique omnem fictionem, seu indispositionem, quæ impedit validitatem Bap-

tiſmi, impedire quoque omnem eius effectum; eam verò, quæ nõ impedit eius validitatem, non poſſe impreſſionem caracteris baptiſmalis impedire; omnis enim Baptiſmus validus non poteſt eum non imprimere, etſi alijs effectibus carere poſſit. Quod igitur in præſenti quæſtione controuertitur eſt, an quando Baptiſmus validè ſuſceptus eſt, ſed ſine fructu gratiæ, ac remiſſionis peccatorum ob indiſpoſitionẽ ſuſcipientis, eos effectus recuperet, ſublata ea indiſpoſitione per contrariam diſpoſitionem.

*Reſp.* Baptiſmus recedente fictione effectum ſuum conſequitur. Deſumitur hæc veritas ex Auguſt. in libris de Baptiſmo, contra Donatiſtas; vbi vult Baptiſmũ, quatenus eſt opus, & ſemen Christi, in ſe immutatum vim regenerãdi ſemper retinere, donec eam ablato obice aliquando exeruerit.

AN ſi quis commiſiſſet aliqua peccata poſt Baptiſmum, ea tollerẽtur virtute Baptiſmi. 45

*Reſp* Non tollerentur virtute Baptiſmi, ſed Contritionis, vel Attritionis cum

Sacramēto Confessionis: Baptiſmus enim ad ea ſolùm peccata remittenda ordinatur, quæ realem eius ſuſceptionem antecedunt.

46 QVænam diſpoſitio requiritur ad tollendam fictionem, ſeu eam indiſpoſitionem, ob quam Baptiſmus gratiæ effectum non eſt conſecutus.

*Reſp.* In eo, qui in ipſa ſuſceptione Baptiſmi, aut poſt eam peccauit mortaliter, neceſſaria eſt Contritio, vel Attritio cum alio Sacramento. Ratio eſt, quia Sacramenta non ſunt inſtituta ad remittenda peccata futura; ſunt enim medicinæ curatiuæ reſpectu peccatorum præcedentiū, & præſeruatiuæ reſpectu futurorum: ſuppono autem peccatum, quod in ipſa ſuſceptione Baptiſmi committitur, naturâ poſterius eſſe ipſo Baptiſmo. In eo autem, qui nec in ipſa ſuſceptione Baptiſmi, nec poſtea mortaliter peccauit, ſatis eſt Attritio, vt recuperet effectum Baptiſmi: Attritio enim ſufficit ad tollendam fictionem, ergo & ad recuperandum effectum, qui per fictionem impediebatur.

Ad extremū omnia peccata, quæ quis cōmittit eo tempore, quo baptizatur, ſi per-

petrentur ante illud vltimũ inſtans, quo completur Baptiſmus, ſunt materia propria Baptiſmi, ideoque per ſe loquẽdo, accedente poſtea ſola attritione remittũtur; ſecus de iis, quæ eo inſtanti adhuc durant. Colligitur ex ſupradictis. Ex quibus omnibus ſequitur, peccata cõmiſſa ante Baptiſmum non eſſe ſubijcienda clauibus Eccleſiæ; contrà verò tam indignam Baptiſmi ſuſceptionem, ſpeciatim in confeſſione eſſe explicãdam, quàm quoduis aliud peccatum, eodem quo perficitur Baptiſmus inſtanti commiſſum.

QVæ ſunt Baptiſmi Ceremoniæ. 47

*Reſp.* 1. Eſt Catecheſis adultorum, qua eorum animi ad Baptiſmum præparãtur. 2. eſt Exorciſmus, qui eſt abiuratio, per quam arcetur Dæmonis poteſtas, ne impediat baptizandum a ſuſceptione Baptiſmi, propter quod fiunt exſufflationes. 3. eſt immiſſio ſalis in os, quo infans ſignificatur condiri gratiâ, cœleſtique quadam prudentia, & ſapientia 4. eſt apertio auriũ cum ſaliua, ad denotandum aures baptizati verbo Dei, ſapientiæque eſſe deinceps aperiendas. 5. eſt pectoris, & ſcapularum vnctio cum oleo benedicto, vt intelligat

Catechumenus sibi athletarum more pro Christo luctandum esse: succedit & vnctio verticis, quæ fit cum sacro chrismate, indicatque eundem factum esse membrũ Christi, qui caput nostrum est. 6. est interrogatio, vtrum Sathanæ abrenuntiet, vt fides, & consensus illius exploretur. 7. est nominis impositio, quod à sancto aliquo legis Euangelicæ mutuandum est. 8 datur baptizato osculum pacis in simbolum amicitiæ; datur & cereus accensus, vt acceptum in baptismo fidei lumen luceat per bona eius opera coram hominibus: vestis candida denotat innocentiam, & puritatem per baptismum acceptam: Lac denique infantiam in Christo. Atque hæ quidem sunt præcipuę baptismi ceremoniæ, quę si omittantur ab hæretico, vel infideli; suppleri non solẽt; ne putetur Ecclesia sentire baptismum ab hæreticis collatum non valere: si verò a Catholicis contingat ob necessitatem prætermitti, postea cùm opportunum fuerit supplentur in infantibus, saltem principales.

48 QVomodo Exorcismi impediunt Dæmonis potestatem.

Resp. Impediunt, quatenus in iis fre-

quens eſt vſus ſigni crucis, inuocatur nomen Ieſu, comminationes fiunt diuinæ vindictæ; aliaque huiuſmodi, quæ dæmō tanquam ſibi inimica auerſatur: Item ratione precum Eccleſiæ, quarum intuitu Deus Dæmonem è corporibus baptizatorum propulſat. Tertiò Dæmon per modū imperij fugatur exorciſmis; ſic enim eum alloquitur miniſter imperatiuè, *Exi ab eo maledicte, &c.* quam poteſtatem non tam miniſtro conuenire ratione ſanctitatis, quàm ratione ordinis, & poteſtatis Eccleſiæ, vel ex eo liquet, quòd plerique alioquin non ita ſancti, vim Dæmonis ſuis Exorciſmis compeſcant.





# CAPVT III.

## DE CONFIRMATIONE.

## SECTIO I.

### *DE NOMINIBVS, NAtura, autore, institutione Confirmationis.*



1. QVÆ sunt huius Sacramēti appellationes.

Resp. Varia sunt eius nomina, quæ tum ex materia, tum ex ritu in eo obseruari solito desumuntur: hinc a patribus, *Inunctio, & sacrum Vnguentum, Oleum sanctificatum, Sacramentum Chrismatis, Sacramentum consignationis, Signaculum dominicum, impositio manuum nuncupatur.* Ab effectu quoque, quem sortitur,

profectum est nomen ipsum Confirmationis: Est enim *Sacramentum, in quo baptizatus in fronte ab Episcopo inungitur, sub præscripta verborum forma, ad robur, & augmentum gratiæ.*

COnfirmatio est-ne Sacramentum. 2.

Resp. Confirmatio est proprium nouæ legis Sacramentũ, *Si quis dixerit* (inquit Trid. seſſ. 7. can. 1. de Cõfirmatione) *Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniã esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum, anathema sit.* Adstipulatur Tridentino ratio ipsa; Tria enim tantùm requiruntur ad rationem Sacramenti. Primum. promiſsio gratiæ. 2. ceremonia externa, qua ea gratia applicetur. 3. mãdatum diuinum de eius vsu; At 1. constat ex c. 16. Ioa. *Si ego non abiero, paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos*, & Lucæ 24. *Ego mittam promissum patris mei in vos.* 2. habetur actorum 8. vbi dicitur, *tunc imponebant*, nempe Apostoli, *manus super eos, & accipiebant Spiritum sanctum*, & c 19. *Cum imposuiſſet illis manus Paulus, venit Spirit⁹ sãctus super eos.* 3. ex eo colligitur, quod Apost. ea ceremonia nunquã vsi fuiſſet, nisi eius rei pręceptũ aliquod a Deo ac-

cepisset.

3 QVis est Confirmationis author, & institutor.


*Resp.* Hoc Sacramentum fuit immediatè a Christo institutum. Trid. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, & iam dictum est supra.

4 QVo tempore fuit hoc Sacramentum à Christo institutum.

*Resp.* Verisimilius est fuisse institutum à Christo in nocte cœnæ, saltem quo ad assignationẽ materiæ, & formæ ipsius. Docet enim Fabianus Papa Epistola 2. ad orientales c. 1. Christum in nocte cœnæ docuisse Apostolos conficere crhysma; quanquam fortè tunc facta non fuit potestas Apostolis hoc Sacramentum administrandi, sed tantùm Ioa. 20. cùm completè creati sunt Sacerdotes, & Episcopi.



SECTIO



# SECTIO II.

## *DE NECESSITATE Confirmationis, eiuſdemque materia, & forma.*

EStne Confirmatio Sacramentum neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem. 5

*Reſp.* Non, quia ex vi ſuæ inſtitutionis ſupponit gratiam baptiſmalem: quare non eſt inſtitutum ad primam gratiam conferendam, ſed ad eam iam collatam augendam; at ea tantùm Sacramenta neceſſaria ſunt neceſſitate medij, quæ conferunt primam gratiam, cuiuſmodi ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia, ergo &c.

QVæ eſt materia Sacramenti Confirmationis. 6

Reſp. Materia remota Confirmationis eſt Chriſma ex oleo oliuarum, & balſamo

compositum, & ab Episcopo benedictum. Ita Florent. in decreto de Armenis : & suadetur hac ratione. Illud pertinet ad materiam huius Sacramenti quod significatur, & determinatur a forma ipsius, Chrisma est huiusmodi, vt patet ex forma hac, *signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis*. Vbi nomine Chrismatis, ex cõmuni vsu Ecclesiæ intelligitur vnguentum compositum ex oleo & balsamo; tale igitur Chrisma pertinet ad materiam Confirmationis. Materia verò proxima huius Sacramenti est ipsa inũctio Chrismatis, in fronte facta, & expressa signo crucis. 1. pars probatur ex cõmuni axiomate, quod est materiã proximã eorũ Sacramentorũ, quæ in vsu consistunt, positam esse in vsu, & applicatione remotæ, vt videre est in baptismo, extrema vnctione &c. 2. pars nempe quod hæc inunctio in fronte fiat, docetur ex perpetuo vsu Ecclesiæ, & communi patrum, & canonum sententia. 3. ex eo elucescit, quod alioqui forma falsa esset, qua inter vngendum Episcopus vtitur dicendo, *signo te signo crucis &c.*

7 EStne necesse, vt Chrisma sit ab Episcopo benedictum.

*Resp.* Essentiale est huic Sacramento, vt Chrisma sit ab Episcopo benedictū: Nam Florentinum decernens Chrisma debere esse benedictum, hoc contraxit ad benedictionem factam ab Episcopo.

EStne necesse Confirmationem dari Chrismate nouo. 8

*Resp.* Id quidem necessarium est necessitate præcepti, non tamen Sacramenti; modo vetus Chrisma sit adhuc incorruptū: ex epistola Fabiani 2. ad Episcopos orientales.

POtestne simplex Sacerdos ex delegatione summi pōtificis Chrisma cōficere. 9

*Resp.* Probabilibus est non posse; quia cum patres, & concilia dicant de diuina institutione esse, vt Chrisma sit benedictū ab Episcopo, facile admittendum non est hoc munus posse alteri demandari, vsque dum aliud constet ex praxi contraria, id enim Episcoporum est ratione ordinis.

PRæter inunctionem illam, quæ fit manu Episcopi, requiriturne alia manuū impositio, 10

*Resp*, Non requiritur, Ecclesia enim, quæ verum vsum huius Sacramenti retinet, nulla alia nunc vtitur.

11 QVænam est forma huius Sacramenti.

*Resp.* Forma huius Sacramenti hæc est, *Consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ita Florent. cui conformis est praxis Ecclesiæ, in qua est legitimus vsus Sacramentorum. Non est tamen necesse illa ipsa verba retineri, quibus forma consueta constat; nam modò sensus formæ seruetur, nihil interest vti æqualentibus; est enim sensus veluti anima verborum.


12 POssuntne hæc verba, *Chrismate salutis*, omitti, stante tota essentia formæ.

*Resp.* Probabilius est non posse; vt nec alia hæc, *signo crucis.* est enim expressa crucis & Chrismatis mentio valde consentanea institutioni huius Sacramenti.

13 VTebanturne Apostoli Chrismate, conferendo Confirmationem.

*Resp.* Vtebantur, nec per simplicem

manuũ impoſitionem effectum huius Sacramẽti conferebant. Neque vrget, quod Actorum 8. & 19. dicantur Apoſtoli contuliſſe Spiritũ Sanctũ per manuũ, impoſitionem: quia per manuũ impoſitionem non intelligitur alia ceremonia, quàm inunctio illa in fronte, quæ quia manu fit, habet rationem cuiuſdem impoſitionis manuum, ex communi modo loquendi patrum.



## SECTIO III.

### *DE DVPLICI CONfirmationis effectu, Caractere ſcilicet, & gratia.*

SAcramentum Confirmationis imprimitne Caracterem? 14

*Reſp.* Imprimit, vt docui, vbi de Sacramentis in genere, & colligitur perſpicuè ex eo hæbr. 6. *Non rurſus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum*; vbi per

impositionem manuum intelligit Apostolus Confirmationem, quæ post Baptismum conferebatur, docetque ei, qui semel baptizatus, ac confirmatus est, non licere amplius baptizari, aut confirmari; quia hæc sunt fundamenta fidei, quæ semel tantùm iaciuntur.

15 INcurruntne irregularitatem, qui bis confirmant, aut bis confirmantur.

*Resp.* Non incurrunt, quia nullo iure id est expressum: Irregularitas autem nunquam incurritur, nisi in casibus iure expressis: Neque ex eo, quod quis irregularis fiat rebaptizando, benè infertur idem dicendum de eo, qui reiterat Confirmationem, quia in pœnis iure positiuo statutis non valet argumentum a paritate rationis.

16 CAracter Confirmationis supponitne Caracterem Baptismi.

*Resp.* Eum supponit: Est enim commune axioma Theologorum, quòd Baptismus sit ianua, & aditus ad omnia Sacramenta, itaut eius Caracter sit veluti potentia passiua ad ea recipienda; quò fit vt non baptizatus inualidè Confirmationem suscipe-

ret, multò minùs eius Caracterem.


COnferturne per Sacramentum Confirmationis gratia gratum faciens. 17

Resp. Suscipienti hoc Sacramentum confertur gratia habitualis, per quam augetur gratia iam ante per Baptismum accepta. Est enim institutum hoc Sacramentum in complementum, & perfectionem Baptismi, ad tribuendum robur, & augmẽtum Spiritus Sancti.

GRatia quam confert hoc Sacramentum, estne maior gratia Baptismali. 18


Resp. Est maior & intensior: scriptura enim, & patres per antonomasiam dicunt, per hoc Sactamentum conferri Spiritum Sanctum; Item dari plenitudinen Spiritus Sancti, siue gratiæ: quibus loquendi modis significant cumulatiorem per ipsum dari gratiam, quàm per Baptismum.





## SECTIO IV.

### DE DISPOSITIONE *suscipientium Confirmationem. de suscipientibus ipsis, eorumque ad eam suscipiendam obligatione.*

19 Væ dispositio requiritur in suscipiente hoc Sacramentum, vt eius fructum, nimirum gratiam, recipiat.

*Resp.* Vt quis gratiam habitualem in hoc Sacramento recipiat, non requiritur per se vlla dispositio actualis, sed sufficit habitualis: si enim accedens ad hoc Sacramentum adhuc in gratia habituali perseueret, recipiet ab eo augmentum talis gratiæ; Sacramenta enim non ponentibus obicem conferunt gratiam; at in eo casu non ponitur obex: per accidens tamen, vt si homo esset in peccato mortali, præerequireretur cõtritio, vel certe attritio

cum Sacramento pœnitentiæ: est enim hoc Sacramentum institutum ad augmentum gratiæ conferendum; quapropter iam supponit infusionem primæ gratiæ.

QVid fiet, si quis accedat tantùm attritus, existimans tamen se contritum. 20

*Resp.* Si illa ignorantia inculpabilis sit, recipiet gratiam ab hoc Sacramento, quia attritio sufficiẽter disponit hominem ad remissionem peccatorum in Sacramento; aliunde verò ratione bonæ fidei, tollitur in eo omnis obex peccati actualis, quare nihil erit causæ, cur gratiam non recipiat.

QVando hoc Sacramentum cum fictione recipitur, atque adeo sine effectu gratiæ, restituitur-ne postea hic effect⁹ recedente fictione. 21

*Resp.* Restituitur: ratio eadem est, quæ de Baptismo.

QVinam sunt capaces Sacramenti Confirmationis. 22

*Resp.* Soli, & omnes baptizati sunt ca-

capaces sunt Confirmationis. Quòd soli baptizati sint eius capaces, constat ex antedictis: Quòd vero omnes sint tales, docet Vrbanus Papa c. 1. de consecr. dist. 5. vbi ait, *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent, vt plenè Christiani inueniantur.*

23 DEbetne Confirmatio conferri etiam infantibus, perpetuò amentibus, & & moribundis.

*Resp.* Iam esse consuetudinis in Ecclesia, vt pueri non confirmentur ante vsum rationis: sufficit tamen ætas septem annorum; tunc enim cēsentur pueri sufficienter vti ratione; nec expedit hoc Sacramentum vlteriùs differri, vt eius ope iuuentur ad euitanda grauiora peccata. Quæ quanquā ita sint, posset tamen occurrere causa legitima, ob quam expediret cōfirmari infantem ante vsum rationis, vt si adesset Episcopus, & crederetur postea multo tempore absuturus &c. Perpetuus amens reputatur vt infans, ideoque vt baptizari, sic confirmari potest; & quamuis nunquam militaturus sit spiritualiter fidem profitendo, ac tuendo; tamen id est per accidens, & aliunde est capax præcipui effectus hu-

ius Sacraméti, qui eſt augere gratiam baptiſmalem, faciendo hominem perfectum Chriſtianum. Quod ſi dilucida haberet interualla, expectandus eſſet eius conſenſus. Moribundis etiam poteſt hoc Sacramentũ licitè conferri: etſi enim minùs ſit iis neceſſarium, quam victuris; indigent tamen illo vt creſcāt, & perficiantur in gratia, quò beatiores reddantur in altera vita.

QVanta eſt obligatio ſuſcipiendi hoc Sacramentum. 24


*Reſp* Sacramẽtum Confirmationis non eſſe neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem, iam ſupra conſtitutum eſt: Nunc igitur quæſtio tantùm eſt, teneamurne illud ſuſcipere vi præcepti alicuius: cui vt ſatiſfiat.

*Reſp*. Nullum extat præceptum diuinũ, vel Eccleſiaſticum Confirmationis ſuſcipiendæ; nullum enim tale oſtendi poteſt: vnde per ſe loquendo, nec mortale, nec veniale peccatum eſt, non recipere hoc Sacramentum: per accidens verò poteſt eſſe etiam mortale; puta ſi quis omittat illud ſuſcipere ex graui contemptu, aut contra propriam conſcientiam dictantẽ eius ſuſ-

cipiendi subesse obligationem.

25 QVandonam censetur hæc omissio esse ex contemptu.

*Resp.* Non satis est ad contemptum, vt quis omittat confirmari, cùm facilè confirmari possit; sed requiritur, vt parui faciat Confirmationem, existimando rem esse puerilem, non magni momenti, ac proinde indignam, cui se se subijciat.



## SECTIO V.

## *DE MINISTRO CONfirmationis.*

26 SOlusne Episcopus potest cõferre Sacramentum Cõfirmationis.

*Resp.* Solus Episcopus ita est minister ordinarius huius Sacramenti, vt si simplex Sacerdos propria authoritate tentaret illud administrare, Sacramentũ nullum esset; Sequitur ex Trid. sess. 7. cã. 3.

de Confirmatione, vbi ait, *Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem, anathema sit*; & sess. 23. cã. 7. vbi dicit anathema ei, qui dixerit potestatem confirmandi esse Sacerdotibus cum Episcopis communem; quod perperam definiret, si Sacerdotes ex vi sui ordinis confirmare possent.

POtest-ne Sacerdos saltem ex cõmissione summi Pontificis Confirmationem administrare. 27

Resp. Potest; id enim aliquando factũ docet Floren. & indicat Trid. supra sess. 7. cã. 3. negans enim simplicem Sacerdotẽ esse ordinarium ministrum, satis insinuat extraordinarium esse posse. Ex quibus patet Cõfirmationem esse actum ordinis, aut Episcopalis, si authoritate ordinaria fiat, aut Sacerdotalis, si dispensatio summi Põficis ad eam accedat, quamuis ipsa dispensatio sit actus iurisdictionis.

POtest-ne ab alio, quàm à Summo Pontifice fieri facultas simplici Sacerdoti hoc Sacramentum ministrandi. 28

Resp. Non poteſt: colligitur ex modo loquendi Concil. Floren. *Legitur* (inquit) *aliquando per ſedis Apoſtolicæ diſpenſationem, ex rationabili, & vrgente admodum cauſa, ſimplicẽ Sacerdotem, chriſmate per Epiſcopũ conſecrato, hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum*; quin etiam conſtat ex praxi ipſa, nullus enim hactenus in eo diſpenſauit, præter ſummũ Pontificem.

29 POteſt-ne ea facultas alteri, quàm Sacerdoti conferri, v. c. Diacono, aut Subdiacono.

Reſp. Non poteſt, quia Pontifex in iis, quæ ſunt iuris diuini pro arbitrio diſpenſare non poteſt; quare quamuis voluerit vt ex ipſa praxi colligitur, Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium huius Sacramenti, Sacerdotem verò extraordinarium, ex nullo tamen capite colligi poteſt, voluiſſe ipſum alteri hoc munus demandari; Non poteſt itaque Pontifex hoc ſibi arrogare, vt alium huic muneri præficiat.

30 POteſt-ne Epiſcopus excommunicatus, degradatus, hæreticus, Confirmationẽ

validè conferre.

*Resp.* Poteſt, quia quòd poſſit Epiſcopus validè confirmare, id oritur ex poteſtate Ordinis, quæ in eo indelebilis eſt, nec ea ab Eccleſia priuari poteſt: ſi itaque libeat ei vti hac ſua poteſtate, valida erit Confirmatio; etſi, ſi Eccleſiæ prohibitionem violet, grauiter peccaturus ſit.



# SECTIO VI.

## *DE OBLIGATIONE miniſtrandi Confirmationem, eiuſdemque ritibus.*



QVænam eſt obligatio Miniſtri huius Sacramenti. 31.

*Resp.* Epiſcopus tenetur aliquoties adminiſtrare hoc Sacramentum tempore, & loco conuenienti, non extra ſuum Epiſcopatum, licet eos poſſit confirmare, qui ex alieno Epiſcopatu ad ſuum confluunt: Adhæc non de-

bet vti veteri chrismate, sed nouo. Rursus Confirmatio, sicut & Baptismus omni tẽpore dari potest, etiam interdicti, nec tãtùm in Ecclesia, sed etiã extra ipsam, puta in palatio Episcopi. Chrisma verò intra Ecclesiam semper consecrari debet, idque solemni ritu, in die cœnæ Domini. Ad extremum non est necesse, vt conferens hoc Sacramentum sit ieiunus, cùm iam consuetudo obtinuerit, vt conferatur post prandium.

32 QVinam sunt ritus huius Sacramenti.

*Resp.* Omissis iis, quæ ipsum prædunt, 1. non debet conferri ab Episcopo, nisi indutus sit vestibus sacris, hoc enim spectat ad ornatum, & reuerentiam Sacramenti. 2. adesse debet susceptor, qui cõfirmandũ teneat, & offerat Episcopo. 3. frõs Confirmati linea vitta cingi, ac ligari debet, ne statim effluat, aut deteratur, sed exsiccetur, & vt significetur gratiam Confirmationis esse conseruandam; quia verò vix siccatur ante triduum, eousque gestari debet, nisi loci cõsuetudo aliter habeat, 4. Confirmato leuiter infligitur alapa, tum vt meminerit se esse confirmatum, tum vt intelligat sibi in posterum fortiter ferendas esse iniurias pro Christo illatas.

Caput



# CAPVT IV.

## DE EVCHARISTIA.

## SECTIO I.

### DE NOMINIBVS, ET essentia Sacramenti Eucharistiæ.



VÆ sunt huius Sacramẽti nomina, & appellationes. 1

Resp. Dicitur *Sacrificium synaxis, Viaticum, Cæna, Hostia, Communio, Sacramentum altaris*, Denique vulgò *Eucharistia* nuncupatur; quæ vox bonam gratiam significat, quia Eucharistia præ cæteris Sacramentis vberrimè confert gratiam supernaturalem; quippe quæ Christum ipsum totius gratiæ fontem, & originem conti-

net & vitam æ ternam repræsẽtat, quæ dicitur, gratia Dei: significat & gratiarum actionem, quia scilicet per Eucharistiam Deo gratias agimus, pro immensis eius in nos beneficiis; vnde frequentissimè ab Ecclesia vsurpatur ad significandum Sacramentum illud quod tertio loco inter Sacramenta numeratur, quod est, *signum sacrum corporis, & sanguinis Christi, in specie panis, ac vini a Christo institutum, ad spiritualem animorum refectionem.*

2 EStne Eucharistia Sacramentum.

Resp. Eucharistia est verum, & proprium Sacramentum, a reliquis specie distinctum, & a Christo Domino in noua lege institutum. *1.* pars patet ex Florent. in literis vnionis, & Trid. passim sess. 7. & 13. & ratio est; quia cùm ad rationem Sacramenti nihil aliud requiratur, quàm vt sit ceremonia sacra quæ habeat mãdatũ Dei, & promissioné gratiæ, & hæc omnia pulchrè quadrent in Eucharistiam, vt clarũ est ex Ioa. *6.* c. & Math. *26.* negari non potest eam esse Sacramentum. 2. pars ex eo probatur, quod hoc Sacramentum materia, & forma, fine quoque, & vi agendi a cæteris differat. 3. denique tum ex scriptura. Marci 4. Lucæ 22. Math. 26. & 1. ad Cor.

ij. tum ex ratione constat: nemini enim côueniebat hæc potestas in corpus Christi, vt per certa quædam verba poneret illud sub panis & vini speciebus, nisi Christo.

IN quibus consistit essentia Sacramenti Eucharistiæ. 3

*Resp.* Ratio Sacramenti Eucharistiæ posita est in speciebus panis, & vini, ac præterea in corpore, & sanguine Christi. probatur ex cap. Hoc est, de consecr. dist. 2. vbi dicitur. Eucharistiæ Sacramentum duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu carne: Item ex modo loquendi D. Pauli 1. ad Cor. ij qui Eucharistiã modò panẽ, modò corp⁹ Christi appellat; *probet autem se ipsũ homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat indignè iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini*: quæ rectè nequeunt intelligi, nisi dicatur vtrumque, scilicet species, & corpus Christi pertinere ad rationem Eucharistiæ: Quod tamen fit cum hoc discrimine; quòd in speciebus, cum sint per se sensiles, insit præcipua vis significandi, & per consequens habeant præcipuè rationem Sacramenti; Corpus autem Christi, cum sit id, quod est verè

cibus animarum, habeat præcipuè vim agendi.


4 QVomodo se habent panis vinum, & forma consecrationis ad hoc Sacramentum.

*Resp.* Eucharistia non componitur intrinsecè ex illis, etsi dicat essentialiter ordinem ad illa tria, tanquam ad suas causas; neque enim species cõsecratæ magis significarent Christum ibi esse præsentem, quàm non consecratæ, nisi ad hoc determinarentur per formam consecrationis, & habitudinem ad illam iam pronuntiatam: nec possent significare Christum ibi esse per modũ cibi, siue refectionis spiritualis, nisi essent species panis & vini, quibus in refectione communiter vtimur. Panis igitur, & vinum censentur pertinere ad hoc Sacramentum, quia ex illis, tanquam ex materia conficitur; forma verò consecrationis, quia per illam materia consecranda conuertitur in corpus & sanguinem Christi.

5 EStne in hoc Sacramento aliquid, quod habeat rationem Sacramenti tantùm,

aliquid, quod rei tantùm, ac denique aliquid, quod Sacramenti, & rei simul.

Resp. Est, solæ enim species cum forma consecrationis sunt Sacramentum tantùm: gratia, & charitas res Sacramenti tantùm: Corpus Christi Sacramentum, & res Sacramenti simul.



## SECTIO II.

### *DE VNITATE SAcramenti Eucharistiæ, eiusdemque necessitate ad salutem.*


Estne Sacramentum Eucharistiæ vnum, vel plura. 6

Resp. Licet materialiter dici possit multiplex, quatenus minirum species panis, & vini prout sub singulis continetur Christus, sunt aliquomodo diuersa signa practica gratiæ (quo pacto a patribus interdum Eucharistia dicitur in plurali *Sacramenta altaris*, *& Domi-*

*nica Sacramenta*, & ab ipſa Eccleſia in Miſſa, *Sacramenta quæ ſumpſimus* ) formaliter tamen vnum eſt Sacramentum vnitate ſpeciei infimæ; quia ſpecies panis, & vini habent tantùm vnam ſignificationem Sacramentalem perfectam, & completam, ambæ enim ſpecies ſimul ſumptæ ſignificant refectionem ſpiritualem, per modum vnius conuiuij ſpiritalis, quod cibo, & potu conſtat.

7 QVi ſub vna duntaxat ſpecie communicat, ſuſcipitne totum Sacramentum.

Reſp. Etſi non recipiat totum Sacramentum quo ad integram ſuam repræſentationem, quia illud non recipit ſub vtraque ſpecie, ac proinde recipit illud tantùm per modum alimoniæ factæ per cibum, & non per potum: tamẽ quod ad rem attinet, illa vna ſpecies tam continet integrum conuiuium, quàm ambæ ſimul ſumptæ, cùm corpus & ſanguinẽ Chriſti, & conſequenter ſpiritualem animæ cibum, & potum contineat; ad eum modum, quo licet in Baptiſmo trina merſio in aqua expreſſiùs ſignificet triduũ mortis Chriſti, vnica tamen tantùm valet, quantùm tres ſimul.

ESto ſit Euchariſtia, vnum ſpecie infima Sacramentum, ſunt ne plures hoſtiæ 8
conſecratæ plura numero Sacramenta.

Reſp. Plura ſunt, ſi communẽ loquendi modũ ſpectemus: Si verò rem ipſam, dicendum videtur eſſe tantùm vnũ numero Sacramentum, quia vnus in illis numero Chriſtus continetur, qui eſt præcipua pars Sacramenti,

EStne Euchariſtia in re, vel voto ſuſcep- 9
ta, neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem.

Reſp. Non eſt, quia illud ſolum Sacramentum dicitur eo modo neceſſarium, quod inſtitutum eſt ad tribuendum aliquẽ effectum gratiæ ad ſalutem per ſe neceſſarium, & qui ſine tali Sacramento obtineri non poteſt: cuiuſmodi eſt prima gratia, per quam remittitur peccatum originale, vel actuale mortale, & perſeuerantia, per quam in ea gratia obtenta perſeueramus vſque ad finem vitæ: At Euchariſtia non eſt inſtituta ad hos effectus, non ad primũ quidem, quia eius ſumptio vt licitè fiat, ſupponit remiſſionem peccati mortalis iam ante factam; & ſic non ordinatur ad conferendam primam gratiam, ſed ad eam

augendam: Quod argumentum probat quoque Euchariſtiam ne quidem in voto eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad primam gratiam recipiendam, quia votum Sacramenti nunquam tali modo eſt neceſſarium medium ad iuſtificationem, niſi eiuſdem realis ſuſceptio ſit medium inſtitutum ad iuſtificationem acquirendam. Non ad ſecundum etiam, vt patet in pueris, quibus, ſi decedant ante annos diſcretionis, nulla ſumptio Euchariſtiæ neceſſaria eſt, ex Trid. ſeſſ. 21. can. 4. Itẽ in adultis, quibus ſi Euchariſtia donum perſeuerantiæ conferret, certi forent de ſua ſalute quod erroneum eſt: Quare illa in re, vel voto ſuſcepta non eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem. Non negauerim tamẽ Euchariſtiam ad perſeuerandum in gratia eſſe maximè vtilem, ac fere moraliter neceſſariam; eſt enim cibus, quo ſpiritualiter ſuſtentamur, & præſeruamur a morte animorum.





# SECTIO III.

## *DE MATERIA SAcramenti Eucharistiæ.*

QVænam est materia huius Sacramenti. 10

*Resp.* Materia huius Sacramenti est panis & vinum. Est de fide ex Florent. in decreto vnionis: & probatur ex facto Christi ipsius, qui Math. 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. ad Cor. ij. narratur accepisse panem, & calicé, & in vtroque Sacramentum hoc instituisse; quod enim per calicem vinum calice contétum intellexerit, ex eo perspicuum est, quòd peracta consecratione ilico subiunxerit, *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, siue, de hoc vino.*

FVit-ne Eucharistiæ Sacramentum conuenienter in pane, & vino a Christo institutum. 11

R*esp.* Conuenientissimè, siue vsum hu-

ius Sacramenti, siue eius significationem spectes. 1. enim ita fit vt & hæc materia mundissimè in Sacrificio incruento offerri, & ipsum Sacramentum cum reuerentia tractari, & asseruari cum decentia possit. 2. quia panis & vini vsus vt est sine fastidio, ita sine illis cætera ciborum genera insipida existimantur; proindeque pulchrè significant spiritualem illam refectionem, quam nobis in hoc Sacramento Christus exhibet. 3. quia disertè significat hæc materia vnitatem corporis Ecclesiæ; vt enim Ecclesia ex multis fidelibus coalescit, sic panis ex multis granis tritici, & vinum ex multis vuis. 4. significat unitatem veri corporis Christi, quia panis significat corpus illius, vinum animam. 5. demum rectè repræsentat mortem eiusdem Christi; vinum enim separatim & seorsim sumptum a pane significat sanguinem Christi separatim effusum a corpore, quod in passione accidit.

12 VTtraque materia est-ne de esséctia huius Sacramenti.

*Resp.* Sub singulis speciebus perfectum est, & integrum Sacramentum, quoad rem contentam, eiusque significationem essen-

tialem; in modo tamen perfectè repræsentandi integrum conuiuium non est ita perfectum sub vna specie; ideoque ad hoc essentialiter requirit vtramque materiam.

PAnis, & vinum sunt-ne ita de necessitate huius Sacramenti, vt vnum sine altero consecrari non possit. 13

*Resp.* Non; vt enim significatio verborum, quibus consecratur panis, non pendet à significatione eorum, quibus vinum consecratur, ita neque eorum virtus, & efficacia; quare si quis super panem pronuntiet hæc verba *Hoc est corpus meũ*, constituetur ibi corpus Christi, siue nolit vinum consecrare ex malitia, siue id obliuione omittat.

EST ne in præcepto, vt in consecratione Eucharistiæ panis non cõsecretur sine vino, nec vinum sine pane. 14

*Resp.* Præcepti est non tantùm Ecclesiastici, sed etiam diuini, vt vnum sine alio non consecretur. Quod sit præcepti Ecclesiastici, liquet ex Pontificum cõstitutionibus, quibus arctissimè præcipitur, vt in omni euentu consecratio integra fiat; etiam-

si sacrificium ab vno inchoatum debeat ab alio perfici. De diuino autem probatur ex Trid. sess. 22. c. 1. vbi ait Christũ in nocte cœnæ sub panis, & vini speciebus, corpus, & sanguinem suum patri suo obtulisse, & Apostolis, ac eorũ in Sacerdotio successoribus, vt illud in posterum ita offerrent præcepisse. Ex quo sequitur ne quidẽ Pontificem in ea re dispensare posse, aut ius diuinum in oppositum interpretari, cũ non possit interpretari hoc Sacramentum alio modo confici posse, quàm ritu à Christo instituto, ac præcepto, nisi dicamus hoc Sacramentum eadem ratione confici posse in alio genere potus, quàm vini deficiente vino, quod absurdum est.

15 MAteria consecranda debet-ne esse præsens ministro.

*Resp.* Debere præsentẽ esse docet tum factum Christi formæ, tũ significatio, in qua pronomen. *Hoc*, designat rem presentem. Vt autem materia censeatur esset præsens, quantùm satis est, ad cõsecrationem, non est necesse, vt actu percipiatur sensu aliquo, sed requiritur, vt ita sit coram Sacerdote secundùm omnes suas partes, vt ex communi more, & vsu hominum cense-

ri possit illi adesse, & demõstrari pronomine *Hoc*, ita-ut forma ex vi suæ significationis intelligatur eam determinare; hinc d cendum est ex vsu Ecclesiæ posse consecrari vinum calice contentum, & coopertum; posse item consecrari eas hostias, quæ sub aliis latent, etsi non videantur.

MAteria consecranda debet-ne cadere sub certam intentionẽ, ac determinationem Sacerdotis. 16

Resp. Debet, quia intentio ministri cõsecrantis debet quantùm ex se est, esse efficax, & operatiua; talis autem esse nequit, nisi sit circa rem determinatã, & singularẽ: vnde qui vellet baptizare hominem, & non hunc hominem, nihil efficeret. Non est tamen necesse, vt ex intentione Sacerdotis determinentur in particulari omnes cõditiones materiæ; si enim Sacerdos vellet consecrare plures hostias sibi præsentes, consecrarentur omnes, esto nesciret quot eæ essent.

POsset-ne quæuis magna quantitas panis & vini consecrari. 17

Resp. Posset consecrari per se loquen-

do, quia nulla est tanta copia panis, aut vini, quin in corũ locũ, per transsubstantiationem possit substitui corpus Christi, per accidens tamen fieri posset, vt non quantauis copia panis, & vini posset consecrari, puta si tanto interuallo abesset, vt moraliter præsens dici non posset.

18 POsset-ne quæuis parua quantitas panis & vini consecrari.

Resp. Posset consecrari per se loquendo, de facto enim nulla est tam parua quãtitas hostiæ, sub qua non sit totus Christus: per accidens tamen posset aliqua esse particula panis tam exigua, vt demonstrari, & designari non posset per particulam, *Hoc*, quod tamen est necessarium ad consecrationem.





# SECTO IV.

## DE PANE IN CORPVS Christi consecrando.



Equiritur-ne ad materiam huius Sacramenti, quòd ſit panis triticeus. 19

*Reſp.* Ex ſolo tritico fieri poteſt panis aptus, vt ſit materia huius Sacramenti. Eſt Florent. in decreto Eugenij, vbi dicit expreſsè materiam huius Sacramenti eſſe panem triticeum, & vinum de vite: & probatur ex facto Chriſti: verba enim trium Euangeliſtarum, *Accepit Ieſus panem*, planè conuincunt ſolum panē eſſe materiam huius Sacramenti: panis autem abſolutè dictus ex vulgari vſu ſumitur tantùm pro triticeo, qui videlicet fit ex tritico nobiliſſima frumenti ſpecie. Porro vt panis triticeus ſit materia idonea huius Sacramenti, debet confici ex farina triticea ſubacta, & aqua naturali eſſe commaſſatus, & vi caloris ignis naturalis concoctus,

talis enim panis est panis ordinarius, & nutritioni accommodus. Ex quibus patet, quicquid habet rationem tritici, posse censeri aptam materiam huic Sacramento, cuiusmodi sunt siligo, & far ex nõnullorũ sentẽtia, si enim siligo sumatur pro secali, vt minimùm est materia dubia; proindeque grauiter peccaret, qui eà vteretur. Contra verò panem, qui fit ex amigdalis, nucibus, fabis, auena, oryza, milio, hordeo, non esse materiã aptam cõsecrationi, quia vel panis nõ est, vel nõ est vsualis, sed ad necessitatem tantùm abhibetur, longoque interuallo a tritico distat. De spelta quia non conueniunt authores, tenendum est esse materiam dubiam. De amilo, esse insufficientem, quia est triticum corruptum, vel certè tendens ad corruptionem.

20 SI panis aliquis conficeretur ex varijs generibus granorum, vt tritici, hordei, &c. liceret-ne in eo consecrare.

R*esp.* Si species peregrina esset in parua quantitate, posset fieri consecratio, talis enim panis communi æstimatione cẽseretur triticeus: secus si in magna. Quòd si æqua esset vtriusque mensura; vel ex illa mixtione illorum, nasceretur quoddã mixtum diuersum a singulis, & sic non pos-

ſet fieri conſecratio, vel fieret mixtũ imperfectum ſecundùm ſitum, qualibet ſpecie in ſua natura permanente, & tunc licet abſolutè poſſet panis ille conſecrari ſecundùm partes, quæ eſſent triticeæ: in praxi tamen non deberet, propter earum cum alijs permixtionem.

POſſet ne conſecrari panis corruptus, 21
vel vergens ad corruptionem.

*Reſp.* Certum eſt panem iam corruptum non eſſe materiam aptam conſecrationi, tendentem autem ad corruptionem, non debere conſecrari, tum ob reuerentiam huius Sacramenti, tum quia materia eſt dubia.

POſſetne maſſa panis incocta conſecrari.
22
*Reſp.* Non poſſet; tum quia probabilius eſt eam ſpecie differre a pane cocto, tum quia, ſiue ſpecie differat, ſiue non, panis vſualis non eſt.

SAcramentum Euchariſtiæ debetne cõ- 23
fici ex pane azymo.

*Reſp.* Nihil refert ad Sacramenti eſſentiam, azymone, an fermentato conficiatur,

Eſt de fide ex Flor. in decreto Eugenij. Ratio verò eſt, quia hoc Sacramentum in eo omni pane triticeo confici poteſt, qui verè dici poteſt panis ordinarius, ſpectato communi hominũ vſu; huiuſmodi autẽ eſt panis tã azymus, quã fermentatus.

24 TEnentur-ne Sacerdotes Latini conſecrare in pane azymo, & Græci in fermentato.

*Reſp.* Tenẽtur, ex Florẽt. ſupra vbi ait, *Definimus in azymo, ſiue fermẽtato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, sacerdoteſque in alterutro ipſum Domini corpus conficere debere, vnumquemque iuxta Eccleſiæ ſuæ, ſiue Occidentalis ſiue Orientalis conſuẽtudinem.* Hinc in c. Literas de celebratione miſſarum, animaduertitur in Sacerdotem, qui in fermentato conſecrarat, quod nulla neceſſitate poteſt excuſari.

25 EſT-ne conſuetudo Latinæ Eccleſiæ celebrantis in azymo conuenientior more Græcorum celebrantium in fermentato.

*Reſp.* Affirmatiuè, tum alias ob cauſas, tum maximè, quia in eo Chriſtus conſecrauit: Nam a primo die azymorum, quo

tempore Christus consecrauit, nihil fermentatũ debebat esse in domib⁹ Iudæorũ, vsque ad diem septimum, vt constat ex c. 12. Exodi.

SAcerdos latinus, qui versatur in Ecclesia græca, potest-ne celebrare in fermentato, aut græcus in Ecclesia latina in azymo. 26

*Resp.* Tenetur vterque seruare ritum eius Ecclesiæ, in qua commoratur, si fixam in ea habeat suam sedem; quia censetur eo ipso fieri membrum illius, proindeque subiici legibus, ac ritibus eiusdem, nisi cum eo dispensetur. Si verò Sacerdos Latinus transeat per Græciam, licet possit se conformare consuetudini Græcorum, & similiter Græcus transiens per loca Latinorum, consuetudini eorundem; ad hoc tamen non tenetur, vt constat ex praxi, & ex Epistola Leonis 9. ad Michaelem Constantin. c. 29. vbi monet, vt *vnusquisque sinatur celebrare iuxta Ecclesiæ suæ ritum, etiam-si sit in aliena Ecclesia.*



# SECTIO V.

## *DE VINO JN SANguinem Christi consecrando.*

QVænam est materia in sanguinē Christi consecranda.

27 *Resp.* Omne, & solum vinum de vite. Est definitum in Florent. sess. vltima, & Trid. sess. 13. c. 3. & patet ex Math. 26. & Luc. 22. Ex quibus colligitur Christū in calice consecrasse vinū, accedente præsertim Ecclesiæ authoritate; quæ ex Apostolica traditione ea loca semper sic intellexit: verba enim illa Christi, *Amodo non bibam de hoc genimine vitis, & Bibite ex eo omnes.* clarè indicant eum loqui de vino quod ex vite generatur, estque humano potui accommodum: Si enim vitis genimen est; ergo ex vite generatur; si bibendum, ergo humano debet vsui aptum esse.

**POtestne vinum album perinde, ac rubrum esse materia huius Sacramenti.**

*Resp.* Poteſt; ſiue enim ſpecie, ſiue ſolo colore differant, vtrumque tamen eſt ſimpliciter vinum, ex vſu communi adhiberi ſolitum ad ſitim ſedandam; quod ad rem præſentem ſufficit.

MVſtum recens ex vuis expreſſus eſt-ne 29
huius Sacramenti materia ſufficiens.

*Resp.* Eſt, licet enim nondum defœcatum ſit, eſſentiariè tamen vinum eſt: eo tamen non, niſi neceſſitas vrgeat, vtendum.

POteſt-ne hoc Sacramentum confici in 30
vino, quod aceſcit.

*Resp.* Si aceſcat tantùm, nec dum planè in acetum conuerſum ſit, poteſt in eo conſici Sacramentum; quia adhuc eſſentialiter eſt vinum: Intellige tamen in neceſſitate, extra quam eo vti non licet ob indecentiam.

ESt-ne agreſta, ſeu ſuccus ex vuis omni- 31
no immaturis expreſſus, materia apta, in qua fiat conſecratio.

*Resp.* Nō, quia illa nondum eſt vinum, nec materia apta ad potandum.

32 COnſecratur-ne validè in muſto folliculis vuæ adhuc contento.

*Resp.* Non; quia etſi probabilius eſt non differre ſpecie a muſto expreſſo, tamen illud eo modo ſpectatum nec habet rationem vini ſimpliciter, nec materiæ potabilis, ſed potiùs comeſtibilis.

33 VInum congelatum eſt-ne materia ſufficiens ad conſecrationem.

*Resp.* Eſt; quia vinum poſt congelationem eſt eſſentialiter vinum; & quamùis ſic ſpectatum actu potari non poſſit, eſt tamen naturâ ſuâ potabile. Neque refert, quòd aqua congelata non ſit materia apta Baptiſmi, nam id ita fit, quia materia proxima Baptiſmi non eſt aqua ſed ablutio, quæ per aquã congelatã fieri non poteſt; at materia Euchariſtiæ non eſt poſita in vſu vini, ſed in re cõſecrabili, quod vino cõgelato euenire poteſt, quia vinum eſt. Grauiter tamen peccaret, qui tale vinum conſecraret; Immò conſultius eſſet poſt liquefactionem non vti, ſed aliud adhibere, ſi in promptu eſſet.





# SECTIO VI.

## DE AQVA VINO consecrando permiscenda.

EST-ne aqua vino permiscenda. 34

Resp. Vino consecrando aqua est permiscenda. Patet ex Concil. Florent. & Trid. & ex perpetuo vsu Ecclesiæ, qui profluxit a Christo, qui, vt eximiè sobriùs erat, temperato vino vtebatur.

QVorsum aqua miscetur vino conse- 53
crando.

Resp. 1. Quia aptiùs per aquam, & vinũ repræsentatur vnio Christi cum Ecclesia, quàm per solum vinum. 2. quia per aquam, & vinum repræsentantur sanguis, & aqua, quæ fluxerunt ex latere Christi. 3. Item duplex natura in Christo. 4. denique gratia, quæ est aqua saliens in vitam æternam.

36 MIxtio illa aquæ cadit-ne ſub præceptum, & quale.

Reſp. Præcepta eſt præcepto Eccleſiaſtico tantùm. Ita Trid. ſeſſ. 22. c. 7. vbi ait mixtionem illam eſſe præceptam ab Eccleſia.

37 ESt-ne mixtio illa aquæ de neceſſitate Sacramenti.

Reſp. Non eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti; Florentinum enim apertè docet *materiam huius Sacramenti eſſe panem triticeum & vinũ de vite*: quibus verbis expreſſit abſolutè, quæ ſit eſſentialis materia Sacramenti: nec dixit *aqua mixtum*, vt materiam Confirmationis dixit eſſe *oleum miſtum balſamo*, ſed tantùm addidit, quòd *aqua modicißima adhiberi debet*: vbi verbum, *debet*, præceptum indicat, non neceſſitatem.

38 QVâ menſurâ debet aqua miſceri.

Reſp. In exigua quantitate, vt faciliùs in vinum conuerſa poſtea mutetur in ſanguinem Chriſti.

39 SI conſecraretur calix, antequam aqua in vinum conuerti poſſet, ea ne in ſan-

guinem Chriſti immediatè conuerteretur.

*Reſp*, Conſecraretur tunc ſolummodò vinũ, manente aqua non conſecrata: particula enim. *Hic*, quæ eſt in forma conſecrationis calicis, indicare poteſt tantùm id quod eſt materia Sacramenti; illud autem eſt ſolum vinum.

SI ſpeciebus vini conſecratis vinum 40
non conſecratum, vel alius liquor admiſceretur, an tunc deſineret ibi eſſe ſanguis.

R*eſp*. Si liquor ſanguini infuſus vinum eſſet, nõ corrumperētur ſpecies cõſecratæ, ſiue illud in magna, ſiue in parua quantitate eſſet. Si autem liquor ille alterius eſſet ſpeciei, eſſetque in maiori quãtitate, quàm ſanguis. vel etiam æquali, tunc corrumperentur ſpecies conſecratæ; Si verò eſſet in exigua quantitate, vt ſi vnica gutta aquæ admiſceretur ſanguini conſecrato, tunc non deſinerent ibi eſſe ſpecies, ſed potiùs guttam aquæ in vinum conuerterent, quia perinde agunt, ac ſi ſubſtãtia vini remaneret.



# SECTIO VII.

## *DE VERITATE CORporis Christi in Eucharistia alijsque huc spectantibus.*

41 EST-ne in hoc Sacramento corpus Christi secundùm rei veritatem.

*Resp.* Christus verè, & realiter præsens est corporaliter in Eucharistiæ Sacramento. Ita Trid. sess. 13. can. 1. his verbis. *Si quis negauerit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu-Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodò in eo esse, vt in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.* Sed probatur primò ex ijs verbis Ioa. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* & *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus; amen dico vobis, nisi manducaueritis, &c.* quibus verbis sæpius

Christus promittit se corpus, & sanguinem suum nobis daturum in cibum, & potum, quæ nullibi nobis exhibuit, nisi in Eucharistia. 2. probatur ex verbis illis, quæ institutioné huius Sacramenti continét, Math. 26. Marci 14. *Hoc est corpus meū. Hic est sanguis meus &c.* quod ijsdem fere verbis docent Lucas c. 22. & Apostolus 1. ad Cor. ij. quæ verba propriè intelligenda sunt, cū nec Ecclesiæ authoritas, nec vlla necessitas in cōtrarium vrgeat. Vnde non est ad rem, quod quidam existimantes non posse ex verbis Euangelij realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi demonstrari, allegant locum illum Apostoli, 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*, quasi verbum *Erat*, metaphoricè posset intelligi: non est, inquam, ad rem, quia spiritualis illa petra, de qua loquitur Apostolus, non metaphoricè, sed verè erat Christus. Quare non potest inde colligi verbum *Est*, in forma consecrationis posse translatitiè sumi. 3. ex consensu totius Ecclesiæ, quæ iam inde a Christo nato vehementer ijs omnib⁹ reclamauit, qui realem hanc Christi præsentiam impugnarunt. Multæ sunt aliæ rationes, quas breuitatis causa prętermitto.

42 EST-ne corpus Christi in hoc Sacramẽto permanenter, vel tantũ in ipso vsu, seu actuali eius sumptione.

*Resp.* Corpus Christi est permanenter in Eucharistia post cõsecrationem, nec prius in ea esse desinit, quàm corrumpãtur species. 1. pars probatur ex verbis institutionis, *Hoc est Corpus meum*. quæ cum absolutè efferantur, non verò sub conditione, *si sumatur*, necesse est ad eorum veritatem ilico corpus Christi reponi sub speciebus. 2. pars probatur, quia quandiu species sunt integræ, manent consecratæ, ac veluti determinatæ a forma consecrationis ad significandum Christum, ergo tandiu illum continent.

43 REmanet-ne substantia panis, & vini in hoc Sacramento peracta cõsecratione.

*Resp.* Post Consecrationem nihil substantiæ panis, aut vini remanet, sed totũ conuertitur in corpus, & sanguinẽ Christi. Definitum est a Trid. sess. 13. c. 4. & can. 2. vbi disertis verbis asserit, in hoc Sacramento *fieri conuersionem totius substantiæ panis in Christi corpus, & totius substantiæ vini in Christi sanguinem, remanentibus tan-*

*tùm panis, & vini accidentibus.* Et patet ex forma ipsa huius Sacramenti, quæ vera nõ esset, si substantiæ panis, & vini remanerent sub speciebus panis, & vini, in postremo instanti prolationis verborum; cùm enim, sumpto pane, Christus dixit, *Hoc est Corpus meum,* indicauit totã substantiã contentã sub specieb⁹ panis (idemque sit iudicium de calice vini) esse corpus suũ: quæ propositio falsa sanè fuisset, si aliqua substantia sub illis speciebus contenta fuisset panis.

ANnihilatur-ne substantia panis, & vini post consecrationem. 44

*Resp.* Non annihilatur, sed verè, & propriè cõuertitur in corpus Christi. Ita Trid. sess. 13. c. 4. & can. 2. Ratio est, quia annihilatio est actio negatiua, per se primò tẽdens ad desitionem rei; at substantia panis, & vini desinit tantùm per accidens ex actione illa positiua, qua separantur accidentia panis, & vini, & per se subsistunt, ergo non annihilatur, seu non desinit absolutè in nihil, sed necesse est conuerti in corpus Christi; quam conuersionem aptissimè Ecclesia *Transsubstantiationem* vocat,



# SECTIO VIII.

## DE TRANSSVB-stantiatione.

45 QVid est Transsubstantiatio.

Resp. *Est conuersio, seu transitus, quo tota vna substantia in totam aliam transit, quæ ei succedit ex vi talis conuersionis.*

46 ESt-ne transsubstantiatio opus supernaturale.

Resp. Est supernaturale & quoad substantiam, & quoad modum. Quod enim est tantùm supernaturale quoad modum, potest absolutè fieri naturaliter, & ab agẽte naturali, licet alio modo: at opus Trãssubstantiationis non est huiusmodi; nec enim fieri potest naturaliter, nec ab agente naturali, vt vna tota substantia in totam aliam conuertatur, nec vt vnum, & idem corpus plura loca occupet, aut sit modo indiuisibili in loco; hæc enim superãt vim

omnem naturalem agendi creaturæ.

ESt-ne Transſubſtantiatio opus miraculoſum. 47

R*eſp.* Si per opus miraculoſum intelligatur id, quod omnino fit præter ordinariam Dei legem, eſt opus maximè miraculoſum: Si verò intelligatur, id quod ſupra rerum naturam ita fit, vt raro fiat, non eſt opus miraculoſum.

CVm in Transſubſtantiatione duæ ſint actiones, vna qua deſinit ſubſtantia panis, & vini, alia qua conſtituitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus, quænam actio eſt hæc poſterior. 48

R*eſp.* Actio, per quam conſtituitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus, eſt vera, ac propria actio ſubſtantialis, attingens ipſum eſſe ſubſtantiale corporis Chriſti, non tamen per modum productionis, ſed conſeruationis. Quod ſit actio ſubſtantialis indicat Trid. docens hanc actionem appellari tranſſubſtantiationem: tranſſubſtantiatio autē propriè ſumpta ſignificat actionem ſubſtantialem. Quod autem ſit actio conſeruatiua, non productiua, liquet ex

eo, quod actio productiua dicitur ea sola, per quam simpliciter res transit de non esse ad esse, quod cùm in transsubstantiationem non quadret, quippe quæ corpus Christi supponit iam esse alibi, meritò dicitur hæc actio non productiua, sed conseruatiua corporis Christi.

49 REmanent-ne accidentia panis, & vini in hoc Sacramento post Consecrationem.

*Resp.* Remanent, si quæstio sit de accidentibus realiter distinctis: Est Trid. sess. 13. can. 3. & patet ad sensum: multa enim visu, tactu, gustu &c. percipiuntur in hoc Sacramento, quæ prius inerant substantiæ panis & vini.

50 QVi modi loquendi retinendi sunt, & qui reiiciendi in hoc Transsubstantiationis mysterio.

*Resp.* 1. Propositiones illæ tanquã veræ admitti possunt, quæ significant panem transire in corpus Christi, vt si quis dicat *Panem cõuerti, transsubstantiari, transire in corpus Christi &c.* 2. Item illæ vsurpari possunt, quæ solam successionem, & ordinem termi-

terminorū a quo, & ad quem significare solēt, vt si quis dicat, *Ex pane fieri corpus Christi, ex vino sanguinem &c.* 3. Illæ repudiari possunt, vt falsæ, in quibus per copulam seu verbum *Est*, significatur corpus Christi, & substantiam panis vno, eodemque tempore simul esse, vt si quis dicat, *Panis est corpus Christi, vel erit corpus Christi, vel corpus Christi fuit panis.* 4. illæ item reiiciendæ sunt in quibus indicatur manere idem subiectum cōmune sub vtroque termino, vt cum dicitur *de pane fieri corpus Christi, vel panē fieri corp' Christi,* nisi cōmodè explicētur.



## SECTIO IX.

## DE CHRISTO PROVT *continetur sub hoc Sacramento*

TOtusne Christus continetur sub hoc Sacramento. 51

*Resp.* Totus Christus est in hoc Sacramento, secundùm totam suam substantiam, hoc est tam se-

K

cundùm humanitatem, quàm diuinitatem, corpus, & animã, eàque omnia, quæ pertinent ad optimam, decentiſſimamque conſtitutionem corporis ipſius. Ratio eſt, quia corpus Chriſti eſt in Euchariſtia, vt iam oſtenſum eſt, & non mortuum, quia vt dicitur Rom. 6. *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur*, ergo viuit, ergo ibi habet animam, & non per ſe ſubſiſtentem, ergo per ſubſiſtentiam verbi, ergo ſubſiſtentia verbi eſt in Euchariſtia, idque peculiari modo per vnionem ad humanitatem. Addidi autem, *eaque omnia, quæ ad optimam &c.* quia non decet corpus Chriſti vllibi eſſe defectuoſum, vel deforme.

52 TOtuſne Chriſtus continetur ſub qualibet ſpecie huius Sacramenti.

R*eſp*. Continetur, Confirmatur eadem ratione, qua ſupra probatum eſt ipſum in hoc Sacramento viuere, non enim viueret, ſi in altera ſpecie eſſet corpus tantùm, in altera ſanguis, cùm ea ſeparatio naturaliter mortem induceret.

53 QVid in hoc Sacramento præciſè vi verborum ponitur ſub ſingulis ſpeciebus.

Resp. Solum corpus Christi sub speciebus panis, & solus eiusdem Christi sanguis sub speciebus vini, ex vi verborum constituuntur; alia verò omnia, vt anima rationalis, qua rationalis est, subsistentia verbi & eius diuinitas per concomitantiam. Ita Trid. sess. 13. c. 3. & ratio est, quia illud dicitur tantùm fieri vi verborum, quod per ea disertè significatur; at certum est solum corpus, & sanguinem per ea disertè significari, relinquitur igitur solum corpus, & sanguinem vi verborum in hoc Sacramento constitui, illud sub panis, hunc sub vini speciebus. Ex quo sequitur, cùm aliunde totus Christus, vt priùs dictum est, sub singulis speciebus contineatur, assignandum esse modum alium, per quem in iis constituatur, secundùm ea, quæ in hoc Sacramento non sunt ex vi verborũ; hic autem modus alius non est, quàm qui dicitur per concomitantiam.

EST-ne totus Christus sub qualibet parte specierum panis, & vini. 54

Quæstio hæc potest intelligi de partibus specierum coniunctis, ac vnitis, vt sit sensus, An substantia corporis Christi post consecrationem sit tota in qualibet hostia,

& tota in singulis partibus illius etiam vnitis: potest etiam intelligi de partibus specierum diuisis, siue ante consecrationem, siue post: si priori modo intelligatur.

*Resp.* Affirmatiuè, Nam si tota substátia corporis Christi non contineretur sub qualibet parte specierum, sed pars parti responderet, assignanda esset aliqua causa talis determinationis, cur nimirum fieret, vt vna pars corporis Christi esset potiùs sub vna parte hostiæ, quàm sub alia; at nulla causa assignari potest, ergo tota substantia corporis Christi continetur sub qualibet parte specierum. Si verò posteriori modo quæstio intelligatur,

*Resp.* Corpus Christi re ipsa quoque contineri in singulis partibus hostiæ consecratæ, siue eæ diuisæ fuerint ante cōsecrationem, siue post tantùm. probatur, nam vel diuisio illa partium fit ante cōsecrationem, vel post. si 1. res per se patet, quia est eadem ratio partium & hostiarum integrarum, quas certum est plures simul consecrari posse. Si 2. vel facta diuisione hostiæ consecratæ, Christus penitus desinit esse sub partibus diuisis, vel vna pars illius est in vna parte hostiæ, & alia in altera; vel deni-

que totus remanet in singulis: Non primum, quia inde sequeretur Sacerdotes, qui semper diuidunt hostiam ante sumptionem, nunquam sumere corpus Christi. Non 2. quia Christus ante diuisionem erat totus ex vi consecrationis sub tota quantitate panis, & totus in qualibet eius parte, sola autem diuisio non potest mutare effectum consecrationis, ergo tertium.



## SECTIO X.

### DE QVANTITATE Christi in Eucharistia.

Estne tota quantitas dimensiua 55
corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ.

*Resp.* Est; probatur, Nam non minor est connexio inter substantiam corpoream, & quantitatem, quàm inter corpus, & sanguinem: quare cum ob connexionem, quæ inter hæc intercedit, vbicunque est corpus Christi, ibi etiam sit

ſanguis, dicendum erit, vbicunque eſt ſubſtantia corporis Chriſti, ibi etiam eſſe quantitatem illius.

56 ESt-ne quantitas corporis Chriſti in Sacramento vi verborum, vel per concomitantiam tantùm.


*Reſp.* Eſt in eo per concomitantiam tantùm: Nihil enim eſt ex vi verborum ſub ſpeciebus panis, quod non fiat per tranſſubſtantiationem, hæc enim ſufficit ad veritatem verborum; at quantitas non fit per tranſſubſtantiationem, quia cùm hæc ſit actio ſubſtantialis, terminari non poteſt ad accidens, ergo quantitas non eſt in Sacramento vi verborum.

57 ESt-ne tota quantitas corporis Chtiſti in tota hoſtia conſecrata, & tota in qualibet eius parte.

*Reſp.* Eſt; Quantitas enim eſt in hoc Sacramento per concomitantiam tantùm; & naturalem connexionem cum corpore Chriſti; at acceſſorium naturæ principalis accōmodatur; Cùm igitur totum corpus Chriſti ſit in qualibet parte hoſtiæ, tota quoque eius quantitas in eodem erit.

QVomodo poteſt tota quãtitas corporis Chriſti eſſe in quolibet pũcto Euchariſtiæ, cùm id videatur repugnare naturæ quantitatis. 58

*Reſp.* Facilè id erit intellectu, ſi diſtinguamus duplicẽ effectum formalem quantitatis; primarium vnum, & eſſentialem, qui eſt tribuere ſubſtantiæ proximam aptitudinem ad extenſionem ad locum; beneficio cuius fit, vt partes ipſæ ſubſtãntiæ interiſe aptæ ſint proximè ſe ſe mutuò expellere, aliamque ſimilem ſubſtantiam corpoream, ac quantam ab eodem ſpatio excludere, itaut ſequatur hic effectus, niſi quid obſtet: Secundarium alterum, qui eſt tribuere in actu ſecundo eam extenſionem, ac molem, per quam re ipſa fit, vt vna pars ſubſtantiæ aliam eiuſdem ſubſtantiæ partem ab eodẽ ſpatio excludat, illique repugnet; tum verò, vt tota, ac integra ſubſtantia totam aliam ab eodem ſpatio reiiciat, illique veluti reſiſtat, ne ibidem ſecum ponatur, quandiu ibi eſt. Quare vt quæſtioni ſatisfiat, dicendum eſt priorem effectũ, qui eſt eſſentialis quantitati, poni poſſe in puncto, non verò poſteriorem, nec hunc cum illo confundendum, vt fieri videtur in quæſtione propoſita.



# SECTIO XI.

## *DE MODO, QVO TAM corpus Christi, quàm eius quantitas sunt in Eucharistia.*

59 QVid est modus ille, per quem tam quantitas, quàm totũ corpus Christi existit indiuisibiliter in qualibet parte hostiæ.

*Resp.* Est modus quidam supernaturalis, a substantia, & quantitate Christi formaliter distinctus, qui reducitur ad Categoriam *vbi*. Quod sit supernaturalis patet, quia effectus eius, nẽpe Christum esse indiuisibiliter in qualibet parte spatij, est quid supernaturale, ex quo etiam sequitur formaliter differre a substantia, & quãtitate Christi, quæ sũt res naturales. Quod verò reducatur ad Categoriam *vbi* ex eo liquet, quòd per illum determinatur corpus Christi ad existendum in loco indiuisibiliter.

ACcidentia alia, quæ Christo in cœlo conueniunt, conueniunt-ne eidem existenti in Sacramento. 60

*Resp.* Accidentia illa duplicia sunt; quædam sunt absoluta, vt quãtitas, raritas, densitas: alia dicunt habitudinem ad locũ, vt extensio in loco, præsentia, relationes distantiæ, & propinquitatis. Illa sunt in Christo in Sacramento per concomitantiam, hæc verò ei minime conueniunt, vt patet ex antedictis.

EStne corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento, sicut in loco. 61

*Resp.* Corpus Christi non est in hoc Sacramento, tanquam in loco, si locus propriè sumatur, nimirum prò superficie aliqua ambiente, & extrinseca, a qua contineatur, & cui commensuretur; quæ superficies dicitur locus physicus extrinsecus, vt constat ex antedictis: est tamen verè, & substantialiter præsens speciebus Eucharistiæ, earumque spatio, ac circa illas aliquid operatur; qua ratione dici potest àliquo modo esse in loco.

EStne Christus in hoc Sacramento definitiuè, vel Circumscriptiuè. 62

*Resp.* Non esse in eo Circũscriptiuè manifestum est, ea enim hoc modo tantùm dicuntur esse in loco, quæ quantitatiuè ita in eo sunt, vt secundùm se tota toti loco, & secundùm suas partes eius partibus cõmensurentur: Christus autẽ hîc est modo quodam spiritali plane diuerso. An autem in eo sit etiam definitiuè difficultas est, quæ magis ad modũ loquendi pertinet: Nam si rẽ esse in loco definitiuè sit ita alicubi esse, vt alibi nõ sit, Christus nõ est in loco definitiuè. Si verò sit rẽ ita alicubi esse tanquã in loco adęquato, vt possit non esse alibi, Christus dici poterit esse definitiuè in qualibet hostia, quia in ea sic est, vt ex modo, quo in ea existit, possit absolutè in ea sola existere, si alibi desinat esse: quo pacto soli Deo conuenit non esse in loco definitiuè.

---

## SECTIO XII.

## *DE MVTATIONIBVS Christi in Eucharistia.*

63 
Vando nã desinit Christus esse sub speciebus.

*Resp.* Non priùs desinit Christus esse sub speciebus,

quàm species alterentur alteratione, quæ sufficiat ad corruptionem substãtiæ panis, si adhuc sub illis esset. Ratio est, quia Christus non priùs desinit esse sub speciebus, quàm sub illis succedat alia substantia; est enim sub illis vice panis: at nulla priùs succedit, quàm per alterationem sufficienter disponantur ad illius formam, & ex consequenti ad corruptionem substãtiæ panis, si ibi fuisset, ergo Christus non priùs desinit esse sub speciebus, quàm species alterentur, &c.

PEr quam actionem desinit Christus esse in Sacramento. 64

*Resp.* Desinit esse in eo per mutationẽ priuatiuam loci, seu quasi loci, quia nihil amittit in ea desitione, præter pręsentiam, vel quod ad eam reuocari potest.

POtestne corpus Christi existens sub speciebus ab agente naturali aliquo genere mutationis affici. 65

*Resp.* Corpus Christi, prout existit in Eucharistia, per accidens moueri potest localiter ab agente naturali: alio verò genere mutationis ab eo nequit affici. Quòd

corpus Christi moueatur motis speciebus, est perspicuum. Quòd verò motus ille ei conueniat non per se, sed per accidens, probatur, quia motus primò, & per se ei non imprimitur, sed mouetur ad motum specierum, quæ primò, & per se motũ recipiunt. Quòd denique aliam ab agente naturali mutationem non admittat, ostẽditur, omne enim agens naturale, cùm sit corporeũ, necessariò agit per actionẽ corpoream, & extensam in loco; sed nulla talis actio potest recipi, vel induci naturaliter in corpus Christi, prout est in Eucharistia, ergo nullam aliam ab agẽte naturali admittit mutationem, quàm motum localem.

66 POtestne corpus Christi existens in Eucharistia primò, & per se moueri.

R*esp*. Non dubium est, quin ita a Deo moueri possit: Christus tamen vt homo in Eucharistia existens, neque a se ipso, neque ab vllo agente naturali, & corporeo, neque ab Angelo primò, & per se moueri potest; quia talis motus requirit extensionem corporis Christi in loco, quæ ei in Eucharistia non conuenit.

POtestne corpus Christi in Sacramento existens agere actione transeunte in res externas. 67

Resp. Non potest; quia modus agendi debet certa proportione respondere modo essẽdi, sed modus qui requiritur naturaliter in corporibus ad existendum, est, vt sint modo quantitatiuo, & extenso in loco, ergo idem requiritur ad agendum: Christus autem eo priuatur in Sacramento Eucharistiæ, ergo &c.

POtest-ne Christus in Eucharistia existens viribus naturalibus elicere actus aliquos immanentes. 68

Difficultas non est de iis, qui illi conueniunt tantùm per concomitantiam, eo-quod videlicet eos exerceat in cœlo, sed de iis, qui primò. & per se a Christo exercentur, pro-ut est in hoc Sacramento.

Resp. Etsi supernaturaliter possit Christus omnes eos actus exercere, naturaliter tamen non potest exercere vllos actus immanentes, vel sensuum externorum, vel internorum. Prima pars probatur, quia id nullam inuoluit contradictionem 2. pars confirmatur, quia organa corporea, vt

possint ad hos actus concurrere, postulant extensionem in loco, quæ Christo in Eucharistia non conuenit: Aliter verò sentiendum de operibus gratiæ, quia in his nõ pendet a corpore, sed a lumine gloriæ, & speciebus infusis.

69 SI Christus potest supernaturaliter exercere actus illos immanẽtes, an eos de facto exercet.

*Resp.* Probabile est eum de facto eos exercere, ac proinde eum videre, & audire astantes, hoc enim magis Christi dignitatem decet, non tamen eum, vt est sub hac hostia, videre oculo corporeo, quid vbilibet fiat. Verisimile quoque est, Deo ad id singulariter concurrente, eum quocũque loco sit, producere eandem intellectionem.





## SECTIO XIII.

### DE APPARITIONIBVS quæ miraculosè fiũt in Eucharistia.

QVando in hoc Sacramēto apparet miraculosè caro, vel puer, à quonam fiunt tales apparitiones. 70

Resp. Ita aliquando euenisse referunt authores fide digni; prætérquā quod multis in locis asseruantur hostiæ sanguine persusæ. Cæterùm fieri possunt a Deo, & a demone.

IN quem finem fiunt eiusmodi apparitiones circa species Sacramentales. 71

Resp. 1. Fiunt in Confirmationē fidei. 2. ad consolationem accedentium ad hoc Sacramentum. 3. ad terrorem peccatorum, eorum præsertim, qui indignè tractant hoc Sacramentum.

72 QVomodo fiunt hæ apparitiones.
*Resp.* Interdum tota mutatio, seu repræsentatio est in sola facultate videndi, aliàs in medio interiecto, quandoque etiam in speciebus ipsis.

73 QVando mutatio est ex parte obiecti, quod in illo apparet est-ne verè Christus, aut caro, vel sanguis Christi.

*Resp* Quamuis apparitio fieri possit in forma veri corporis, & sanguinis Christi; verisimile tamen non est rem reuera ita fieri; tum quia constat experientia, quod priùs videbatur caro, vel sanguis, in aliud quiddam esse conuersum; tum quia sæpe id fit per exhibitionem veluti frusti carnis, vel sanguinis defluentis ex hostia, quæ de corpore Christi glorioso cogitare indignũ est. Immò verisimiliꝰ est, quod tũc apparet, non esse veram carnem, aut verum sanguinem, sed eorum tantùm speciem externã referre Nec rectè inferas Deum ita nobis imponere, aut latere hic falsitatem aliquã, quia per illam speciem non intendit significare Christum sub illa forma ibi esse præsentem, sed verè, & realiter esse præsentem sub Sacramento, nec adorationem termi-

terminandam, ad id, quod apparet, ſed ad verum corpus Chriſti, quod eſt ſub ſpeciebus.

QVando hoſtia ita per apparitiones illas immutatur, remanet-ne adhuc ſub illa corpus Chriſti. 74


*Reſp.* Si immutatio illa fiat in medio, organo tantùm, non dubium eſt, quin corpus Chriſti ſub hoſtia remaneat. Certum quoque videtur, quandiu mutatio in ſpecies inducta tanta non eſt, vt cum ea non poſſit naturaliter conſiſtere ſubſtantia panis, ſub iis remanere corpus Chriſti: ſecus, ſi tanta ſit in ſpeciebus mutatio, vt per eam tollantur diſpoſitiones neceſſariæ ad panis conſeruationem: Cùm enim Sacramentum hoc non ſit inſtitutum a Chriſto, niſi ſub ſpeciebus panis, & vini, tandiu ſolùm durat, quandiu non corrumpuntur ſpecies,





# SECTIO XIV.

## *DE ACCIDENTIBVS in Eucharistia post consecrationem remanentibus.*



75 REmanent-ne peracta consecratione omnia accidentia panis, & vini, vel aliqua tantùm.



*Resp.* Non remanent ea accidentia; quæ formaliter tantùm distinguebantur à substantiis panis, & vini, quæ verò ab iis distinguntur realiter, ea omnia remanent. 1. pars probatur; quia illa ita sunt affixa subiecto, illud modificando, ac determinando, vt sine eo nequeant existere. 2. confirmatur, quia fide, & experientia constat remanere quantitatem, & qualitates quasdam; non est autem potior ratio, cur quædam remaneant, quàm omnes; remanent igitur omnes.

76 IN quem finem remanent accidentia panis, & vini in Sacramento.

*Resp.* Primus, ac præcipuus est, vt in Sacramento habeant rationem signi sensibilis. Secundus, vt Christus sumatur sub speciebus earum rerum, quæ hominibus esse solent vsui ad cibum & potum. Tertius, vt sub iis speciebus Christus commodè offeratur, & immoletur sacrificio incruento. Quartus, ad fidem nostram excitandam, dum aliud nobis videndum, aliud credendum proponitur. Quintus ad hoc mysterium infidelibus occultandum. Sextus denique, ad veritatem verborum consecrationis.

ACcidentia illa, quæ remanent sunt-ne in aliquo subiecto substantiali. 77

*Resp.* Non sunt; nam ex veritate verborum consecrationis euinci potest, peracta consecratione, nullam substantiam intimè præsentem esse speciebus in eodem situ, præter corpus Christi, inter quod, & species nulla est proportio, quo ad extensionem: quare in eo esse non possunt sicut in subiecto.

QVomodo conseruatur quantitas separata ab omni substantia, in hoc Sa- 78

cramento.

*Resp.* Quantitas ſeparata a ſubiecto conſeruatur a Deo diſtincta actione ab ea, per quam priùs conſeruabatur in ſubiecto, communicando illi modum aliquem, cuius interuentu per ſe poſitiuè ſubſiſtit. 1. pars probatur, quia influxus ille. quo extra ſubiectum conſeruatur, eſt omnino ſupernaturalis; quo autem in ſubiecto antea conſeruabatur, naturalis duntaxat. 2. confirmatur ex anologia ad ſubſtantiã, & plæraque alia, in quibus videmus ita comparatum eſſe, vt ſi modus ipſis connaturalis ab iis fortè ſeparetur, ei ſtatim ſuccedat alius quo claudantur, & vltimò terminentur: Cùm igitur a quantitate ſublata ſit inhærentia, naturali quadam ſequela debetur ei modus alius inhærentiæ repugnans; is autem eſt ſubſiſtentia quædam.

79 ESt-ne in hoc Sacramento quantitas dimenſiua panis, & vini aliorum accidentium ſubiectum.

*Reſp.* Quantitati, quam mox diximus per ſe ſubſiſtere, cætera accidẽtia, ſicut ſubiecto inſunt. Docet id experientia; quod enim mota v.c. albedine moueatur figura,

color, odor &c. aliunde non oritur, quã ex aliqua vnione eorum inter se in aliquo tertio, cui inhereant; aliud autem commodè assignari nequit, præter quantitatem.

POssunt-ne species Sacramentales agere in res externas. 80

Resp. Possunt; testantur id experientia, & sensus; ratio autẽ est, quia vis eorum agendi non pendet a subiecto, vt agat: Adde habere ea idem subiectum proximum, quantitatem nimirum.

POssunt-ne species Sacramentales corrumpi. 81

Resp. Quod attinet ad qualitates panis, & vini, possunt eodem modo immutari, quo possent, si subiectis suis inexisterent: patet experientia; mouentur enim ad motum quantitatis, intenduntur, remittuntur, corrumpuntur: Quantitas verò specierum panis, & vini potest quidem, vt eorundem qualitates, eodem modo immutari, quo potuisset iuncta substantiæ panis; potest nempe moueri localiter, rarefieri, condensari, &c. re ipsa tamen nec corrumpi, nec

ab vllo agente naturali destrui posse, probabilius videtur.

82 Potest-ne aliquid ex speciebus Sacramentalibus generari,

*Resp.* Potest ex iis generari quicquid ex substantia panis, & vini generari potuisset. Constat experientia, ex speciebus enim generantur vermes, cineres, acetum, &c.

83 Ex qua materia educuntur formæ substantiales rerum illarum, quæ ex speciebus generantur, cum sub iis sit tantùm corpus, & sanguis Christi.

*Resp.* Eodem instanti, quo ita sunt immutatæ species, vt sub illis non posset conseruari substantia panis, & vini, si ibi adesset, desinit corpus, & sanguis Christi sub iis esse; tum Deus per creationem producit materiam aut eandem, quæ priùs fuit transsubstantiata (quod est verisimilius) aut diuersam, eique vnit quantitatem cum qualitatibus prærequisiti, ad introductionem formæ substantialis in materiam, quam formam agens educit è potentia materiæ, non secus ac si ibi imme-

mediatè præfuisset substantia panis & vini.

POssunt ne species Sacramentales nutrire. 84

*Resp.* Possunt; vt enim possunt conuerti in vermẽ, cinerem, &c. sic in substantiam aliti.

FRanguntur-ne species Sacramentales in hoc Sacramento. 85

*Resp.* Franguntur verè, & propriè; sunt enim verè quantæ, corpus tamẽ Christi nec frangi potest, nec diuidi, quia est impassibile, & vt supra dictum est, totum in qualibet parte specierum.



## SECTIO XV.

## DE VERBIS FORMÆ *consecrationis.*

COnsecratio panis. & vini debet-ne fieri verbis quibusdam certis, & determinatis. 86

*Resp.* Affirmatiuè; Florent.

enim in literis Eugenij ad Armenos, cùm in genere præmisisset Sacramenta nouæ legis tribus constare, verbis, rebus, & persona ministri, nominatim de Sacramento Eucharistiæ loquens ait, *Forma huius Sacramenti sunt verba saluatoris, quæ certa sunt, & determinata.*

87 CHristus est ne vsus iis ipsis verbis in consecratione panis, & vini, quibus instituit, vt cæteri vterentur.

R*esp.* Christus consecrauit panem, & vinum his verbis semel tantùm prolatis, & palam audientibus discipulis, *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei.* Colligitur ex scriptura, quæ vt rectè intelligatur, dicendum est, Christum primò quidem accepisse panem, deinde benedixisse, tum in partes varias pro numero astantium diuisisse, & in disco ordinasse, postremò porrexisse discipulis, simulque dixisse, *Hoc est corpus meum* (quibus verbis consecrauit] eaque verba priùs absoluisse, quàm Apostoli acceperint: quod subindicat Euangelista per participium *dicens*, quod ex vi propria significandi coniungit subsequentia cum antecedentibus, quasi eodem tempore facta.

PEr eandem ne actionem Christus gratias egit patri, benedixit pani, & vino, eaque consecrauit. 88

*Resp.* Hæc omnia distinctis actionibus peracta esse testantur tum ordo verborum Euangelij, tum Trid. sess. 13. c. 1. vbi ait, *Post panis, vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis, ac perspicuis verbis testatus est*; Hoc autem testatus est per verba consecrationis, ea igitur post benedictionem pronuntiauit.

VErba formæ nimirum, *Hoc est corpus meum*, & *Hic est calix sanguinis mei.* dicunturne a Sacerdote tantũ historicè, siue recitatiuè, an verò formaliter, & significatiuè, siue assertiuè. 89

Nota illud dici recitatiuè, siue historicè, quod solùm refertur, tanquam ab alio dictum: formaliter verò, ac significatiuè, quod ita proferimus, vt per illud intendamus aliquid affirmare, vel negare.

*Resp.* Verba essẽtialia formę dicũtur tũ recitatiuè tũ etiã significatiuè: Recitatiuè quidẽ, quia, verè per ea refert Euãgelista, quæ a Christo gesta, & dicta sunt, vt patet ex cõtextu canonis, *Qui pridie quàm pateretur, &c.*

Significatiuè verò, quia alioqui Sacerdos per ea nihil præcisè affirmaret, sed tantùm diceret Christum ea protulisse, & sic non ea applicaret ad materiam præsentem, nec per consequens consecraret; cum Sacramenta nouæ legis tantùm efficiant, quod significant.

90 QVæ verba in vtraque forma sunt essētialia.

*Resp.* Hæc sola quatuor verba. *Hoc est corpus meum.* sunt de essentia formæ consecrationis panis; Sicut hæc priora quinque verba, *Hic est calix sanguinis mei*, vel æquiualentia, sunt de essentia formæ consecrationis calicis. Probatur, quia ea censetur esse apta forma cuiusque Sacramenti, per quam ratio, & effectus talis Sacramēti aptè significatur, aptè autem significatur solis illis verbis; sola igitur illa sunt de essentia formæ consecrationis. Rectè tamen Ecclesia alia quædam verba partim ex ipsis Euāgelistis, partim ex traditione desumpta addit, ad vberiorem huius Sacramenti explicationem; quæ prætermittere contra Ecclesiæ consuetudinem (quæ in re tanti momenti vim habet legis) nemo sine peccato possit.

QVid in forma conſecrationis panis demonſtratur per pronomen. *Hoc.* 91

*Reſp.* Per pronomen illud demonſtratur ſubſtantia panis ſub ratione vaga indiuiduæ ſubſtantiæ, ſeu ſub ratione contenti ſub eiſdem numero ſpeciebus, abſtrahendo a ratione contenti per modum ſuſtentantis in genere cauſæ materialis, & per modum ſuſtentantis in genere cauſæ efficiẽtis; quia hoc pacto rectè omnia quadrant, quæ ex parte talis vocis requiruntur, vt tota forma conſecrationis vera ſit.

QVomodo poteſt hæc Enuntiatio eſſe vera, *Hoc eſt corpus meum.* cum in ea prædicatum debeat conuenire ſubiecto eo tempore, pro quo ipſi ab ea attribuitur; attribuitur autem illi pro præſenti, quo tamen tempore Chriſtus nondum eſt ſub ſpeciebus. 92

*Reſp.* Licet in ea verbum *Eſt* ſit præſentis temporis non habet tamen completam, & perfectam ſuam ſignificationem ante vltimum inſtans terminatiuum totius propoſitionis, quo inſtanti corpus Chriſti verè eſt ſub ſpeciebus, & ſic verũ eſt, quod per illam propoſitionem enuntiatur.

93 QVid sibi vult in illa forma particula *Meum*, cùm si Sacerdos ea verba proferat recitatiuè tantùm, non consecret, sed narret tantùm, quod olim gestũ fuit: si significatiuè, significet non corpus Christi, sed suum, & sic falsa sit tota propositio.

*Resp.* Ea verba proferuntur a Sacerdote non recitatiuè solùm, sed etiam significatiuè, alioquin non applicarentur ad materiam præsentem, & ex consequenti ea nõ consecraretur: Malè tamen inde inferas falsum dicere Sacerdotẽ; non enim ea profert, vt est particularis quædam persona tantùm, nempe Petrus, Ioannes &c. sed cum celebrat, peculiari ratione personam Christi induit, ex eaque simul, & sua profert verba consecrationis,





# SECTIO XVI.

## DE EFFECTIBVS SAcramenti Euchariſtiæ.



Q Viſnam eſt effectus proprius Sacramenti Euchariſtiæ. 94

Reſp. Eſt augmentũ gratiæ, quæ per modum cibi ſpiritalis confertur, ad fideles tum cum Chriſto, tum inter ſe arctiore charitatis vinculo cõiungendos. Teſtatur ſcriptura Ioa. 6. *Qui manducat me, viuet propter me*, & 1. ad Cor. 10. *Vnum corpus ſumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus.* Ratio verò eſt, quia hoc Sacramentum datur per modum cibi, & potus, ſed cibi eſt nutrire, & augere quantitatẽ viuentis; effectus igitur huius Sacramenti erit, augendo vitam ſpiritalem arctiùs nos coniungere cum Chriſto, ita ut quadam ratione in ipſius naturam tranſeamus: ad quem effectum pertinent auxilia quædam, quæ Deus ſuo tempore confert

dignè communicantibus, putà ad excitandam deuotionem in exercitio virtutum, ad feruorem charitatis recuperãdum; ad suauitatem, & dulcedinem quãdam spiritualem in obsequio Dei percipiendam, seu ad gustandum, quàm suauis sit Dominus: quæ cõstant ex analogia cibi corporei, qui non modò vitam auget, & conseruat, sed etiam vires imminutas reparat, confortat, ac delectat.

95 QVo tempore communicanti confertur gratia Sacramentalis.

*Resp.* Confertur in ipsa manducatione Eucharistiæ, quando nulla est indispositio contraria in subiecto: huic enim manducationi, seu corpori Christi, vt manducatur, facta est promissio gratiæ, Ioa. 6: *Qui manducat meam carnem, &c.*

96 GRatia illa produciturne in instanti, vel successiuè.

*Resp.* Vtroque modo produci potest; Si enim ex parte subiecti nullus sit obex, nullaque successio in dispositione ad Sacramentum Eucharistiæ, Eucharistia simul & in eodem instanti confert totum suum effectum: Si verò ex parte subiecti tempore

manducationis sit aliqua successio in dispositione ad gratiam, effectus huius Sacramenti intenditur successiuè.

SI eadem dispositio, quam communicans a principio habuit, duret in eadẽ intensione toto tempore manducationis, quam gratiam recipiet. 97

Resp. Probabile est eum etiam tunc recipere maiorem gratiam successiuè; quia ea dispositio, quatenus non variatur, censetur moralitér præstantior, maiorisque meriti, quàm quæ durat tantùm per instãs.

SI quis post indignè sumptum Sacramentum, interim dum digeruntur species, conteratur, vel meliùs se disponat ad augmentum gratiæ, recipiet-ne etiam tũc augmentum gratiæ ex opere operato huius Sacramenti. 98

Resp. Recipiet. Probatur ex analogia cibi corporei, qui non tantùm prodest, quando manducatur, sed etiam cum in stomacho digeritur. Adde quod hoc maiorem speciem benignitatis, & charitatis præ se fert in Christo, & excitat ad pietatem, & augendam deuotionem post Sa-

cramenti ſumptionem.

99 POteſtne dari prima gratia, vel augmẽtum gratiæ, ratione huiuſce Sacramẽti, tum cùm omnino deſiit.

*Reſp.* Non poteſt; alioquin enim ſequeretur Sacerdotem, qui per totum vitæ tempus indignè communicaſſet, ſi in fine vitæ reſipiſceret, ilico peruenturum ad inſignem ſanctitatem, quod abſurdũ eſt.

100 PRoducitne Sacramentum Euchariſtiæ effectum aliquem in corpore.

*Reſp*, Primò, imminuit fomitem peccati, frenat concupiſcentiam, aliaſque paſſiones temperat, ad faciliorem vſum virtutum. 2. gloria corporis eſt peculiàris effectus huius Sacramenti. 3. corpus eius, qui dignè ſuſcipit Euchariſtiam, cenſetur ex contactu ipſius peculiari ratione ſanctificari, & fieri membrum corporis Chriſti.

101 EFfectus huius Sacramenti eſtne remiſſio peccati mortalis.

*Reſp.* Hoc Sacramentum per ſe, & ex inſtitutione ſua nec primam gratiam confert,

fert, nec remittit peccatum mortale; alioquin liceret ad hoc Sacramentum accedere cum conſcientia peccati mortalis, vt licet ad Baptiſmum & pœnitentiam; quæ per ſe primò inſtituta ſunt ad remittenda peccata, contra praxim Eccleſiæ, & locum illum Pauli, *Probet autem ipſum homo.* Per accidens tamen interdum hoc Sacramentum confert primam gratiam, & remiſſionem peccatorum: Si enim aliquis eſſet ita diſpoſitus, vt per ignorãtiam inuincibilem exiſtimaret ſe ſufficienter doluiſſe de peccatis, vel peccata ſibi remiſſa eſſe in confeſſione, & cum tali diſpoſitione, ac fide accederet ad hoc Sacramentum. modò attereretur, nullum quantùm in eo eſſet, poneret obicem gratiæ, & ſufficienter per attritionem auerteretur à peccato, ad primam gratiam percipiendam; eam igitur reciperet; ſunt enim Sacramenta inſtituta ad conferendam gratiam iis, qui non ponunt obicem.

PEccata venialia remittuntur-ne per Sacramentum Euchariſtiæ. 102

*Reſp.* Remittuntur; non enim tantùm pertinet ad hoc Sacramentum, vt augeat vitam ſpiritalem, ſed etiam vt ſubmoueat

ea, quæ huic incremento ſunt contraria, cuiuſmodi ſunt venialia : hoc autem duobus fit modis, primò excitando feruorem actualem Charitatis, qui feruor ipſis repugnat. Secũdò intendẽdo habitus ipſos gratiæ, & charitatis ad operandum deinceps feruentiùs.

130 QVæ diſpoſitio requiritur vt beneficio huius Sacramenti deleantur venialia.

*Resp.* Non requiritur alia, quàm vt qui accedit ad illud, ſit in gratia, nec ſit poſitiuè affectus ad huiuſmodi peccata.

104 REmittiturne tota pœna peccati per hoc Sacramentum.

*Resp.* Hoc Sacramentum, vt Sacramẽtum eſt, non remittit immediatè ex opere operato pœnam vllam temporalem, quia inſtitutum eſt ad vitam ſpiritalem fouendam, cui per ſe non repugnat reatus pœnæ : Indirectè tamen id præſtat, excitando in nobis actus aliquos, qui ſatisfactorij ſunt pro huiuſmodi pœna. Dixi autem, vt Sacramentum eſt, quia ſi ſpectetur vt Sacrificium, valet ad pœnam ex opere operato remittendam.

PRæseruat-ne hoc Sacramentum a peccatis futuris. 105

*Resp.* Præseruat tum interiùs nos corroborando per augmentum gratiæ, & virtutum, tum vel maximè per gratias præuenientes, quas suo tempore percipiunt, qui dignè communicant. Vt tamen hoc Sacramentum homini libertatem non eripit, sic plærique in peccata labuntur, qui hoc Sacramentum frequentant, sed suo vitio & culpâ, dum charitatem & auxilia ad non peccandum concessa flocci faciunt.

PRodest-ne hoc Sacramentum aliis, quàm sumentibus. 106

*Resp.* Eucharistia, quatenus Sacramentum est, prodest tantùm sumentibus ex opere operato; quia, vt sic, institutum est per modum cibi, qui soli manducanti, prodest: Quod non obstat, quominus aliis etiam prosit quatenus est actus meritorius, & satisfactorius, vt quæuis alia opera pia. Quatenus verò est Sacrificium, si pro aliis offeratur, proderit iis ex opere operato, per modum satisfactionis.

107 PLures hostiæ simul, vel continuè sumptæ conferuntne plus gratiæ, quàm vna tantùm.

*Resp.* Quando plures hostiæ, vel simul vel continuè sumuntur, ita vt earum sumptio moraliter censeatur pertinere ad vnã communionem, non conferunt, per se loquendo, & quantùm est ex parte Sacramenti, plus gratiæ, quàm altera tantùm. quia non est plus virtutis in multis hostiis consecratis, quàm in vnâ tantù .

108 AMbæ species simul sumptæ prosuntne ad vberioren gratiam ex opere operato conferendam, quàm altera tantùm.

*Resp.* Per se loquendo non conferunt. Ratio, quæ petitur ex Trid. est hæc, quia fideles nulla gratia ad salutem necessaria priuantur, ex eo quod cõmunicent sub vna sola specie, quia in ea recipiunt totum Christum qui est fons totius gratiæ; hinc enim sequitur vtramque speciem non conferre plus gratiæ, quàm vnam.

QVando nam confertur gratia Sacerdoti communicanti sub vtraque specie:

*Resp.* Confertur in sumptione primæ speciei; quia causa agente (nimirum Christo rectè applicata, & non impedita, & subiecto recte disposito, ilico sequi debet effectus. Adde quòd Sacerdos celebrãs in die parasceues post sumptionem specierum panis, ilico recipit gratiam, quare eandem recipiet, post sumptionem earundem specierum panis, quando communicabit sub vtraque specie, nam gratiæ productio pendere non debet ab euentu futuro.

PEccatum veniale impeditne effectum huius Sacramenti. 110

*Resp.* Peccatum veniale præteritum, & solo habitu manens in anima non impedit augmentum gratiæ, quia sicut peccatum veniale non auertit a Deo, ita neque ponit obicem gratiæ habituali. Peccatum verò veniale, quod actu inter communicandum committitur, licet non impediat infusionem gratiæ habitualis, impedit tamen spiritualem illam delectationem, quam percipere solent deuotè communicantes, præterquam quod efficit, vt remissior gratia habitualis infundatur.



## SECTIO XVII.

### *DE MODIS MANDV-candi corpus Chriſti: & præuia diſpoſitione ad communionem.*

111 QVot ſunt modi manducandi corpus Chriſti.

*Reſp.* Sunt 3. Sacramentalis tantùm, Spiritalis tantùm, & Sacramentalis, & ſpiritalis ſimul. Communio Sacramentalis eſt ea, qua peccator baptizatus ſuſcipit hoc Sacramentum cum intentione recipiendi illud, vt Sacramentum eſt. Spiritalis nihil aliud eſt, quam deſideriũ, ac propoſitũ hominis iuſti ſumendi Euchariſtiã. Sacramẽtalis denique & ſpiritalis communio eſt ea, quia & re ipſa Sacramentum ſuſcipitur, & quia digné ſuſcipitur, inde acquiritur fructus aliquis ex opere operato.

ESt ne solius hominis hoc Sacramentum spiritualiter sumere. 112

Resp. Solus homo potest hoc Sacramentum tum Sacramentaliter, tum spiritualiter sumere. 1. pars probatur; quia solus homo capax est baptismi, & intentionis recipiendi hoc Sacramentum, vt Sacramentum est. 2. pars item probatur, quia in eo solo potest esse verum desiderium sumendi re ipsa Eucharistiam, qui est capax sumptionis illius, sed huiusmodi est homo, non Angelus igitur &c.

SOlusne homo iustus potest Christũ Sacramentaliter manducare. 113

Resp. Non modò homo iustus, sed etiam peccator potest Christi corpus verè, ac realiter sumere: patet ex verbis Apostoli. 1. ad Cor. ij. *Qui autem manducat, & bibit indignè. &c.*

PEccat-ne peccator sumẽs corpus Christi Sacramentaliter. 11

Resp. Peccat mortaliter qui accedit ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis: probatur ex Apostolo. 1. Cor. ij. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudici-*

*um sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.*

115 EST ne præceptum aliquod conscio peccati mortalis, de præmittenda confessione ante communionem.

Resp. Non est quidem iuris naturalis, vt Confessio præmittatur sumptioni Eucharistiæ; quia ex natura rei dignè ad eam accedit, qui cum sola attritione ad eam accedit. Est tamen id iuris diuini positiui. Colligitur ex verbis Pauli, *Probet autem se ipsum homo &c.* & ex Trid. sess. 13. c. 7 vbi dicitur praxim Ecclesiæ semper talem fuisse. Nam praxis, cuius initium nescitur, meritò creditur à Christo profluxisse.

116 NVnquam-ne licet conscio peccati mortalis sumere Eucharistiam sine confessione.

Resp. Licet interdum, si necessitas communicandi vrgeat, & desit Confessarius. Ita Trid. supra.

117 QVando-nam censetur adesse necessitas communicandi.

Resp. Cēsetur adesse, 1. in articulo mortis;

tam Sacerdotis, quàm alterius; quando ſcilicet aliquis aliàs eſſet deceſſurus ſine viatico 2. quando Sacerdos tenetur ex officio celebrare, nec poteſt per alium. 3. quãdo quis ſine ſcandalo, aut infamia non poſſet omittere ſacrum, aut communionem. 4. quando celebrans poſt conſecrationem recordatur peccati mortalis non confeſſi, aut etiam peccat mortaliter, non tenetur ante communionem confiteri etiamſi adeſſet confeſſarius, & poſſet ſine nota fieri; quia ſacrificium non decet interrumpi, niſi fortè crederet ſe non eſſe contritum. 5. quando quis aliàs non poſſet in Paſchate communicare: tunc enim, quamuis non confeſſus poſſet communicare, concepta cõtritione. Addunt aliqui alium caſum, nimirũ cum quis habet caſus reſeruatos, a quibus non poteſt abſolui a confeſſario; ſed probabilius eſt, eo caſu teneri eum præmittere confeſſionem omnium peccatorum, ſi habeat aliqua peccata mortalia non reſeruata, vt ſaltem à reſeruatis indirectè abſoluatur: quod ſi nulla habeat mortalia non reſeruata, conſultius eſſet, vt ſua reſeruata cum venialibus confiteretur, ob eundem finem.

118 QVandonam censetur deesse confessarius.

Resp. 1. Quādo absolutè deest, qui possit confessionem audire. 2. cum quis non potest sine interprete confiteri; ad hoc enim nemo tenetur. 3. quando quis prudenter iudicat se non posse præsenti confessario confiteri sine graui periculo notabilis damni, aut scandali.

119 QVantùm debet distare confessarius, vt possit dici abesse.

Resp. Id ex variis circumstantiis expendendum, & prudenti iudicio determinandum est. Hoc tamen in genere dici potest, ei deesse confessarium, qui ob inualetudinem, itineris difficultatem, tẽporis breuitatem, aliorum præsentiam, vrgentia negotia, aliáque id genus, sine graui incommodo hîc, & nunc eum adire nequit.

120 AD quid obligatur communicaturus, qui confiteri non potest, & tamen peccato aliquo læthali tenetur.

Resp. Obligatur vi præcepti diuini, ad eliciendam contritionem, vt quantùm po-

test dignè ad communionem accedat. Insuper Trid. sess. 13. c. 7. iniungit Sacerdoti, qui ob inopiam confessarii, vrgente necessitate, omissa peccati mortalis confessione, celebrauit, vt quāprimùm commodè potest, confiteatur; quo præcepto non tenentur laici.

ACcedere ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis, est-ne grauissimum omnium peccatorum. 121

*Resp.* Indigna sumptio corporis Christi, graue quidem est peccatum Sacrilegij, quo violatur religio, ac veneratio rebus sacris, ac sanctis debita; ex genere tamen suo non est peccatum omnium grauissimū; infidelitas enim, desperatio, odium Dei &c. quibus destruuntur virtutes Theologicæ, grauiora sunt.

DEbetne Sacerdos denegare Eucharistiam peccatori petenti. 122

*Resp.* Distinguendo: vel enim peccator est publicus, vel occultus: si publicus, siue publicè, siue priuatim Eucharistiam petat. eam illi Sacerdos ministrare non debet, ante pœnitentiam peractam, & qui-

dem publicam, ſi publicè petat, vel priuatam, aut publicam, ſi priuatim. Ratio eſt, quia ſancta ſanctè tractanda ſunt, nec debet ſanctum dari canibus. Immo negari eidem deberet, ſi vel violenta tantùm ſuſpitio haberetur de crimine ipſius, quia certitudo moralis, & euidentia ſufficiunt ad res humanas gerendas. Si verò peccator occultus ſit, & occultè eam petat, ei dari non debet, quia eiuſmodi peccator nullũ habet ius ad eam petendam; neque ex eo, quod illi denegetur, ſequitur vlla vel infamia ipſius, vel ſcandalum, & aliunde euitatur magna irreuerentia huius Sacramẽti, quod fieri ſemper debet, quando poteſt: Si autem talis peccator occultus publicè ad eam accipiendam ſe ſe offerat, eam non debet ille denegare Sacerdos; quia ad bonũ commune, rectamque gubernationem requiritur, vt bona communia cuique diſtribuantur, pro cuiuſque meritis, ac dignitate, eaque non priuatâ ſcientiâ, ſed publico teſtimonio cognita; at peccator occultus, etſi reipſa, & iudicio Sacerdotis ſit indignus hoc Sacramento, publicè tamen non iudicatur indignus, ergo debet Sacerdos huic ſcientiæ ſe conformare.

IMpeditne nocturna pollutio aliquem a susceptione huius Sacramenti. 123

Resp. Si pollutio eueniat citra vllũ peccatum mortale, mortale non est eo die accedere ad hoc Sacramentum: si tamen ex ea, siue voluntaria fuerit, siue non, oriatur magna quædam mentis distractio, veniale erit eo die ad illud accedere; nisi aliunde quis excusetur; alioqui si ex pollutione inuoluntaria non sequatur huiusmodi effectus, potest quis eo die sine peccato vllo communicare; imo etiamsi pollutio accideret cum peccato mortali, modo præcederet communionem legitima pœnitentia, & confessio: quamnis consultius esset eo die sibi communione interdicere.

COniugati possuntne post actum con- 124 iugalem eodem die sine peccato cõmunicare.

Resp. Regulariter non possunt sine veniali, quia talis actus ordinariè non fit ex mero prolis desiderio, sed ex concupiscẽtia, ac libidine, vnde magnæ distractiones oriuntur, & hebetudo mentis ad cogitandum de rebus diuinis: Si tamen constaret talem actum susceptum tantùm fuisse pro-

lis desiderio, & ad reddendum debitum, nil causæ esset, cur deberet impedire à cõmunione, si præsertim nullus talis effectus ex eo sequeretur.

125 IMpeditne sumptionem huius Sacramenti cibus, vel potus præassumptus.

*Resp.* Solis iis licet sumere hoc Sacramentum, qui ita ieiuni sunt, vt post mediã noctem nihil omnino per modum cibi, vel potus sumpserint. Patet ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine, ab ipsis Apostolis introducta in reuerentiam huius Sacramenti.

126 REgula illa de non sumendo cibo, vel potu ante communionem, itane generalis est, vt nullus sit exceptioni locus.

*Resp.* Varij sunt casus, in quibus licet etiam non ieiuno communicare. 1. est cũ quis versatur in articulo mortis, nec iudicio Medici potest expectare tempus, in quo possit ieiunus communicare; vel licet possit expectare, non potest tamen Eucharistia ad eum commodè deferri. 2. oritur ex necessitate perficiendi Sacrificium iam inceptum, quia enim maius est præceptum

de integrè celebrando, quàm de ieiunè ſumendo hoc Sacramentum, fit vt debeat Sacerdos potiùs communicare poſt cibũ ſumptum, quam relinquere Sacrificiũ imperfectum. 3. eſt, quando timetur grauis aliqua irreuerentia Sacramenti, v. c. ne deueniat in manus hæreticorum, qui illud indignè ſint tractaturi, vel ne incendatur &c. 4. eſt, ſi timeatur vel ſcandalum aliorum, vel grauis infamia, niſi quis communicet, licebit enim ei tunc communicare poſt cibum ſumptum. 5. eſt, cum Sacerdos loco vini conſecrauit aquam, eáque ſumpſit, tunc enim debet iterum vinum conſecrare, illudque ſumere.

LIcet-ne in eadem ægritudine alicui non ieiuno communicare. 127

*Reſp.* Licet, ſiue æger ex morbo ferè totus conualeſcat, & poſtea ex eodem iterum in periculum mortis incidat [ quia tunc ſũt quaſi diuerſi morbi ] ſiue perſeuerante eodem morbo poſt interuallum aliquot dierum ſæpius exponatur præſenti vitæ periculo, quia in eo caſu permittitur non ieiuno communio, vt diuino præcepto ſatisfaciat, egetque moriturus talis Sacramenti præſidio.

128 POtest ne Sacerdos nō ieiunus celebrare, quando deest hostia, quæ morituro detur, ne cogatur sine viatico decedere.

*Resp.* Non potest, quia non potest violare præceptum Ecclesiæ, vt alter possit seruare diuinū, a cuius obseruatione æger excusatur, ob impossibilitatem communicandi.

129 QVi carent vsu rationis, sunt-ne capaces fructus huius Sacramenti.

*Resp.* Infantes, amentes, & alij carentes vsu rationis, dummodo sint in gratia constituti, sunt capaces fructus huius Sacramenti. Sacramenta enim omnia conferunt gratiam non ponentibus obicem.

130 ESt-ne præceptum aliquod, quo vel teneantur infantes, & adulti amentes ad hoc Sacramentum suscipiendum, vel obligetur Ecclesia ad illud ipsis conferendum.

*Resp.* Non est: Quod ipsi præcepto non teneantur patet, quia præcepti capaces non sunt. Quod Ecclesia etiam ad id non obligetur, probatur; ex eo quod Ecclesia teneatur tantùm iis ea remedia conferre,

que

quæ ad salutem necessaria sunt, cuiusmodi non est Eucharistia.

QVid de eo dicendum, qui antequam incideret in amentiam petiit hoc Sacramentum, fuitque rectè dispositus ad illud suscipiendum. 131

Resp. Si sit spes sanioris mentis, expectãdum donec rationis sit compos: Si verò amentia putetur futura perpetua, & occurrat extrema necessitas, debet ei ministrari, quia virtute prioris desiderij censetur habere ius ad illud, piéque illud suscipere.

POtest ne hoc Sacramentum dari Energumenis. 132

Resp. Si sint rectè dispositi, & ita à Dæmone perpetuo vexentur, vt nunquam sint compotes mentis, potest in articulo mortis, iis ministrari. Quòd si interdum vterentur ratione, deberet Eucharistiæ administratio in illud tempus differri.

LIcet-ne quotidie hoc Sacramentum sumere. 133


Resp. Etsi per se loquendo, laudabilius sit frequentiùs communicare, quàm rari-

ùs; hominibus tamen laicis, iisque præsertim, qui coniugati sunt, consulendum non est, vt sæpius, quam semel per hebdomadam communicent, ob varias rerum humanarum curas, & solitas, quibus distinentur occupationes: quæ quia in omnibus non habent locum, sic aliquis ab illa regula exceptioni locus esse potest.

134 LIcet-ne sæpius per diem communicare.

*Resp*. Nullo quidem iure diuino id prohibitum; ne vulgò tamen id fiat, ob reuerentiam tanti Sacramenti, meritò Ecclesiastica consuetudine, & lege sancitum est, per quam eandem potestas fit Sacerdotibus in festo Natiuitatis Domini ter inter celebrandum communicare.





# SECTIO XVIII.

## DE PRÆCEPTIS AD *communionem obligantibus, & communione sub vtraque specie.*

TEnemur-ne præcepto aliquo diuino ad huius Sacramenti susceptionem. 135

*Resp.* Vi præcepti diuini tenentur omnes adulti ad communicandum, non modò in articulo mortis, sed etiam aliquoties in vita. Quod teneantur communicare in articulo mortis, ex eo docetur, quòd semper Ecclesiæ curæ fuit, ne vllus sine viatico ex hac vita decederet. Quòd verò teneantur etiam sæpius communicare in vita, probatur ex fine, & institutione huius Sacramenti; Institutum enim est ad charitatem, & robur spirituale augendum, tum etiam ad perseuerandum in gratia, ad

quod vnica Euchariſtiæ ſumptio non ſufficit.

136 TEnemur-ne ad eandem Euchariſtiæ ſumptionem præcepto aliquo Eccleſiaſtico, & quo tempore obligat hoc præceptum,

*Reſp.* Præcepto Eccleſiæ tenentur omnes adulti baptizati ſingulis annis communicare, idque in paſchate, Ita enim habetur in c. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentia, & definitur in Trid. ſeſſ. 13. can. 9. Nomine verò paſchatis non intelligitur ſolus dies reſurrectionis, ſed octo dies ipſū præcedentes, & octo conſequentes, vt teſtatur Eccleſiæ conſuetudo.

SI quis ex impotentia, vel malitia totum tempus paſchale tranſigeret ſine ſumptione Euchariſtiæ, liberaretur-ne onere, & obligatione communicandi eo anno, differendo vſque ad Paſcha ſequentis anni.

*Reſp.* Non liberaretur, ſed ei communicandum eſſet prima data occaſione; quia communio ita præcipitur fieri tempore Paſchali, vt ratio, vel occaſio talis præcepti non naſcatur ex illo tempore, ſed ex ipſa

substantia præcepti; quò fit, vt tempus illud habeat tantùm rationem circunstantiæ; quare si communio præcepta tempore constituto non fiat, adimpleri debet alio tempore.

SAtisfacitne præcepto de communione facienda, qui communicat indignè, hoc est in peccato mortali. 138

*Resp.* Satisfacit; ratio est, quia quoticscũque lex aliqua præcipit actum aliquem, censetur tantùm præcipere substantiam ipsius, non verò modum, nisi sit intrinsecus, & essentialis ipsi actui (quo pacto cum præcipitur confessio, præcipitur quoque integritas ipsius) at dignitas, & dispositio, quæ requiritur in sumptione huius Sacramenti, non est de substantia ipsius sumptionis, quæ præcipitur, sed est tantùm modus quidam ipsius, ergo illa non præcipitur, & per consequens satisfacit, qui quouis modo communicat.

TEnentur-ne Laici iure diuino communicare sub vtraque specie. 129

*Resp.* Non tenentur, Ita Trid. sess. 21. c. 1. & can. 1. imò legitimis ex causis præci-

pitur a Concil. Constant. sess. 13. sub pœna excommunicationis, ne vllus Sacerdos communicet populum sub vtraque specie. Et probatur ex Ioa. c. 6. vbi Christus ait, *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* & *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* quibus verbis vim sanctificandi, & viuificandi tribuit Sacramento sub vnica panis specie; quod falsum esset, si vtraque species necessaria esset ad salutem.



## SECTIO XIX.

### *DE POTESTATE EV-charistiam consecrandi, eamque aliis dispensandi.*

140 COnsecratio huius Sacramenti estne propria Sacerdotis,

R*esp.* Potestas consecrandi seu conficiendi Eucharistiæ Sacramentum pertinet ad omnes, & solos Sacerdotes per Episcopum consecratos: patet ex Florent. in decreto

Eugenij, & Trid. sess. 22. c, 1. Ratio est, quia ij soli habent hanc potestatem, quibus ea à Christo data est; at iis solis data est à Christo, quibus Math 26 dictum est, *Hoc facite in meam commemorationem*, Hi autem fuerunt soli Apostoli, & qui iis in munere Sacerdotali successerunt, quales tantùm sũt ij qui in Ecclesia certo ritu consecrantur in Sacerdotes.

POssunt-ne plures Sacerdotes vnam, & eandem hostiam consecrare. 141

Mouetur hæc quæstio occasione eorum, qui recenter creati sunt in Sacerdotes, qui plærisque in Ecclesiis iubentur simul cum Episcopo verba consecrationis proferre: ad quam.

Resp. Si tam Episcopus, quàm Sacerdotes eodem instanti finiant formam consecrationis, concurrent omnes ad consecrandum eandem hostiam; secus si simul non absoluant; cum hoc tamen discrimine, vt si priùs Episcopus finiat, solùs consecret; Si verò ex nouis Sacerdotibus nonnulli Episcopum præuertant, non consecrent, modò non habeant intentionem faciendi, quod per formam significatur; debent enim

ita esse comparati ad vitanda quædam incommoda, 1. vt non præsumant præuenire Episcopum in consecrando. 2. vt intendant cum eo consecrare, si fieri possit; sin minus, intendant solùm verba consecrationis materialiter proferre.

142 AD solumne Sacerdotem pertinet dispensatio huius Sacramenti.

*Resp.* Ad solum presbyterum pertinet iure diuino dispensatio huius Sacramenti. Colligitur ex illo 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, id est, *Sacramentorum*, vbi loquitur de se, & aliis Sacerdotibus.

143 EST ne de iure diuino, vt Sacerdos talem potestatem per se ipse semper exerceat, nec possit alteri eam committere.

*Resp.* Non: Confirmatur ex consuetudine quæ olim fuit in Ecclesia, quando laicis dabatur communio sub vtraque specie; tunc enim Diaconi calicem ministrabant, vt patet ex illo D. Laurentij ad Sixtum pontificem, *Experire vtrum ministrum idoneum elegeris cui cõmisisti Dominici sanguinis dispensationem*: quò fit, vt etiamnum hodie, si quis

esset in articulo mortis, nec Sacerdos propter infirmitatem posset eum adire, nec alteri⁹ suppeteret copia Sacerdotis, posset ad eum à Sacerdote mitti diaconus, qui ei hoc Sacramentum ministraret; Immò, quod amplius est, si Sacerdos abesset, & talis necessitas vrgeret, posset diaconus ex voluntate interpretatiua superioris, ei per se Eucharistiam ministrare. Addam non deesse graues Theologos, qui inferiores Clericos, aut etiam Laicos in tali necessitate idem posse asserant: Vnde infertur à fortiori licere Sacerdoti, aut Diacono in extrema necessitate se ipsum communicare; quod etiam de Laico nonnulli putant probabile.

VT quis legitimè ministret Eucharistiam, sufficitne potestas ordinis. 144

*Resp.* Non, sed præterea requiritur iurisdictio, siue ordinaria, siue delegata, quod locum habet non solùm tempore Paschatis, sed etiam quocunque alio. Patet ex Concil. Cartag. 1. c. 7. & quia ad rectam Ecclesiæ gubernationem pertinet, vt soli pastores pascant oues suas.

145 QVam pœnam incurrit, qui ſine licētia alienis ouibus hoc Sacramentum diſtribuit.

*Resp.* Is, qui Sacerdos non eſt, fit irregularis, quia exercet actum ordinis, quem non habet. Qui Sacerdos eſt non religioſus, grauiter quidem peccat, nullam tamen incurrit cenſuram. Religioſus non religioſo ſine licentia præſumens dare communionem incurrit excommunicationem, vt patet ex Clement. Religioſi, de priuilegiis, ſecus ſi alteri religioſo.

146 SAcerdos conſecrans tenetur-ne ſumere hoc Sacramentum.

*Resp.* Tenetur, & quidem ſub vtraque ſpecie, quia talis ſumptio pertinet ad integritatem ſacrificij.





# SECTIO XX.

## DE IMPIO EVCHARI-*stiæ ministro, & obligatione Sacerdotis ad consecrandum.*

POtestne malus Sacerdos Eucharistiam consecrare. 147

Resp. Potest, quia potestas consecrandi non nititur bonitate ministri, sed caractere, qui indelebilis est.

MIssa mali Sacerdotis minùsne valet, 148 quàm missa Sacerdotis boni.

Resp Si Missa spectetur ex parte effectus, qui illi conuenit ex opere operato, tantùm valet: Si autem spectetur, quantùm ad vim operãdi, quam habet ex opere operantis ipsiusmet Sacerdotis celebrantis, minùs valet. Ratio prioris partis est, quia talis effectus non pendet ex meritis operã-

tis, sed ex mera Dei institutione. Ratio posterioris partis est, quia vis impetrandi boni operis præcipuè pendet ex dispositione operantis, cùm ergo malus Sacerdos minùs sic dispositus ad impetrandum, quã bonus, Missa mali Sacerdotis hac ex parte minùs valebit, quã boni.

149 SAcerdos hæreticus, schismaticus, excommunicatus, degradatus, potestne hoc Sacramentum conficere.

*Resp.* Potest; quia potestas consecrandi non distinguitur à charactere Sacerdotali, qui in omnibus illis indelebilis est.

150 LIcetne a Sacerdotibus excommunicatis, vel Hæreticis, seu peccatoribus cõmunionem recipere, & eorum Missam audire.

*Resp.* De hac difficultate dictum est, vbi de Sacramentis in genere.

151 LIcetne Sacerdoti omnino à consecratione abstinere.

*Resp.* Præterquamquod Sacerdos cui animarum cura commissa est, toties celebrare tenetur, quoties id necessarium est,

vt muneri suo satisfaciat, vt docet Trid. sess. 23. c. 14. de reform. Singuli Sacerdotes etiam curam animarum non habentes, tenentur sub mortali aliquoties in anno, ter nimirum, aut quater celebrare: Christus enim Dominus non modò Sacerdotibus omnibus potestatem fecit consecrandi sui corporis, sed vnà iis id iniunxit his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem.* Cui mãdato vt satisfaciant, debent, vt minimum, ter, quaterue in anno ad altare accedere, celebrioribus nimirum festis, ex decentia quadam, vel si placet, aliis.





# CAPVT V.

## DE SACROSANCTO *Missæ sacrificio.*

## SECTIO I.

## *DE SACRIFICII NOmine, natura, & varijs eius acceptionibus.*



1. QVÆNAM sunt huius vocis, *Sacrificium*, significationes.

*Resp.* Sacrificium dicitur quasi sacrum factum, teste Greg. in c. Multi. 1. q. 1. Porro dupliciter sumitur Sacrificium, 1. Largè, & impropriè, pro omni opere bono, siue interno, siue externo, quod in laudem, ac honorem Dei referri potest: sic

Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, & Psal. 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* 2. strictè & propriè, & definiri potest, *Actio externa, per quam Deo aliquid offertur, ac immutatur in protestationem, ac agnitionem supremi eius Dominij.* quo pacto Sacrificium non significat quemcunque actū virtutis, sed eum supremam actum religionis, qui cōsistit in immutatione alicuius rei sacræ, in honorem Dei.


QVænam est natura, & ratio Sacrificij propriè sumpti. 2.

*Resp.* Sacrificium propriè sumptum ita describi potest. *Est oblatio externa rei alicuius permanentis, ac sensilis, a Deo, vel hominibus publica potestate instituta, a legitimo ministro Deo ipsi immediatè facta, per immutationem eiusdem rei, in signum agnitionis supremi ipsius in res omnes Dominij, & reuerentiæ interioris, quæ illi tanquam supremo Domino exhibetur.*

QVotuplex est Sacrificium. 3.


*Resp.* Quadrifariam diuiditur, nimirū ex parte materiæ, seu rei in eo oblatæ; ex parte formæ; ex parte finis; & ex parte efficientis. Ex parte materiæ diuidi-

tur in victimas, seu hostias, immolationes, & Libamenta. Ex parte formæ diuiditur in holocaustum, hostias pro peccato, & hostias pacificas: quæ diuisio spectari quoque potest ex parte finis: quia enim varius erat finis sacrificiorum, ideo diuerso modo fiebant. Huc refertur diuisio sacrificij in cruentum, & incruentum. Illud ita dicebatur, quòd cum sanguinis effusione fieret; hoc verò, quod sine illa. Denique diuiditur sacrificium in Sacrificium legis naturæ, Mosaicæ, & gratiæ; de quo postremo deinceps dicendum.



## SECTIO II.

## *DE SACRIFICIO MISSæ, eiusque autore.*



4. E Stne in lege Euangelica aliquod visibile, & proprium Sacrificium.

*Resp.* Fide certũ est aliquod esse: probatur luculenter ex c. 1. Malachię

*No.*

*Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis, vsque ad occasum magnum est nomen meũ in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio mũda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quod Sacrificium intelligi nequit de operibus virtutum, nec de Sacrificio vllo iudaico, nec sacrificio vllo eorum gentilium, qui ante Christi aduentum verum cultum vero Deo offerebant, nec de Sacrificio aliquo gentiliũ idololatrarum, vt patebit intuenti: quare debet intelligi de vero aliquo sacrificio, quod nunc a nobis offertur, qui priùs eramus gentiles.

OFferturne in Missa verum, ac propriũ nouæ legis Sacrificium. 5.

*Resp.* Offertur: probatur ex facto Christi; illud enim ipsum nunc fit à Sacerdotibus, quod Christus gessit in nocte cœnæ: tunc verò non modò Sacramentũ instituit, sed etiam Sacrificium obtulit: cùm enim Christus, qui est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec aliquando offerre debuerit Sacrificium secundùm eũdem ordinem, hoc est, in pane, & vino, si

id in nocte cœnæ non præstitit, nusquam sané præstitit. Sacrificant igitur Sacerdotes, quoties Eucharistiæ Sacramentum cōficiunt.

6. FVitne hoc Sacrificium in vltima cœna à Christo institutum.

Nota duo esse in Missa distinguenda. 1. est substantia ipsa Sacrificij. 2. sunt orationes, & ceremoniæ, quæ adhibentur veluti quædam accidentia eius ornamenta. hoc posito.

*Resp.* Fide tenendum est Christum in vltima cœna instituisse Sacrificium Missæ, quoad substantiā. Probatur hac ratione, necessaria est connexio inter legem, sacerdotium, & sacrificium, autore Apostolo, ergo eiusdem est sacrificium instituere, qui legem, & Sacerdotium instituit; sed Christus est autor nouæ legis, & eius sacerdotij, ergo & sacrificij; illud autem aliud non est, quàm immolatio corporis, & sanguinis sui. Ad hæc idem cōfirmatur ex ipsis verbis, quibus Christus hoc Sacramentum confecit, quæ D. Lucas c. 22. ita refert. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur.* Ex quibus

sic argumentor, verbum. *Datur*, aut sumitur pro, porrigitur vobis, aut pro, offeretur in cruce pro vobis in Sacrificium, aut pro, offertur iam pro vobis in Sacrificium. Non primum, quia non dixisset Christus, *Datur pro vobis*, sed *datur vobis*. Similiter de calice non dixisset *Effunditur pro vobis in remissionem peccatorum* simplex enim porrectio non refertur ad peccata remittenda : neque dixisset, *Effunditur pro vobis, & pro multis*: sed tantùm *effunditur pro vobis*, solis enim Apostolis tunc porrigebatur. Neque 2. quia non dixisset, *datur, effunditur. &c.* sed *dabitur, effundetur &c* quam effusionem cùm calici tribuat, loquaturque in præsenti tempore, manifestum est eam non posse accommodari sanguini in cruce; is enim quatenus calice continetur, non fuit fusus in cruce. Dicendum igitur est 3. per illa verba *Datur pro vobis*, intelligendam esse præsentem quandam oblationem corporis, & sanguinis Domini Deo factam à Christo, qui est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec, quæ oblatio non distinguitur ab oblatione crucis ratione rei oblatæ, quæ vtrobique est eadem, ipse scilicet Christus, sed tantùm ratione modi: in cœna enim incruentè, in cruce cruentè

fuit oblatus.

7 A Quo institutæ sunt Ceremoniæ, & orationes, quæ in Missa fiunt quæque extrinsecæ sunt substãtiæ sacrificij Eucharistiæ.

*Resp.* Non à Christo, sed ab Ecclesia.

8 EST-ne vnum tantùm Sacrificium Eucharistiæ in lege noua.

*Resp.* Est: probatur ex Trid. præfatione ad sess. 22. vbi appellatur hoc sacrificium, *Vnum, verum, ac singulare sacrificium*; Cuius rei ratio est, quia vna res est oblata, scilicet Christus, qui offertur sub speciebus Eucharistiæ, & vnus finis talis oblationis, nempe supremus cultus Latriæ.

9 EST-ne absolutè loquendo vnicum Sacrificium in lege Euangelica.

*Resp.* Est vnicum, quia lex Euangelica perfectissima est, & eius sacrificium, ratione rei in eo oblatæ, infinitæ dignitatis, ergo nõ debuerunt in eo multiplicari Sacrificia.

10 OFferuntur-ne in Missa corpus, & sanguis Christi.

*Resp.* Offeruntur, illud enim in Missa offertur à Sacerdote nouæ legis, quod Christus in nocte cœnæ Deo patri obtulit, ac sacrificauit: sed illud fuit corpus, & sanguis ipsius, vt supra probatum est, ergo corpus, & sanguis ipsius offeruntur.

11

QVomodo corpus, & sanguis Christi in Missa offeruntur.

*Resp.* Christus, vt in proria specie existit, nullo modo offertur in hoc sacrificio, sed tantùm vt est in speciebus panis, & vini modo Sacramentali; offertur autem nō vt materia, quæ supponatur actioni sacrificandi, sed tantùm vt terminus oblationis. 1. pars probatur, quia eo modo offertur in Sacramento, quo in eo continetur, continetur autem modo indiuisibili, ac Sacramentali. 2. pars probatur, quia actio sacrificādi est cōsecratio, seu Transsubstātiatio, cui actioni non supponitur Christus (hoc enim potiùs conuenit substantiis panis, & vini) sed potiùs per eā fit præsens speciebꝰ.

NIhil-ne aliud offertur in Missa præter corpus, & sanguinem Christi. 12

*Resp.* Substantiæ panis, & vini in Missa

offeruntur. tanquam materia ex qua fit totum sacrificium: species verò panis, & vini pertinent intrinsecè ad rem oblatam, itaut in Sacrificio Missæ offeratur compo-positum aliquod sensile ex speciebus, & corpore Christi. 1. pars probatur, quia substantiæ illæ non offeruntur tanquam res oblata manens in termino oblationis, ergo vt materia, ex qua fit id quod offertur. 2. pars probatur tum ex August. qui in c. hoc est de consecr. d. 2. ait Sacrificium Ecclesiæ *Duobus confici, visibili Sacramentorum specie, & inuisibili Domini Iesu Christi carne*; tum ratione; est enim de ratione sacrificii, vt sit aliquid sensile, Christus autem, vt est in Sacramento non est aliquid sensile, nisi vt cũ speciebus componit vnum Sacramentum, ac signum sensile.





## SECTIO III.

## DE ACTIONE, IN QVA posita est essentia Sacrificij Missæ.

CVm iam constet de re, quæ in Missa offertur, ac sacrificatur, quænam est actio, per quam res illa in Missa offertur, seu in qua actione posita est essentia Sacrificij Missæ. 13

Nota quinque præcipuè esse actiones, de quibus potest esse dubitatio. 1. est oblatio, & eleuatio panis, & vini, quæ fit his verbis. *Suscipe sancte pater &c.* & *Offerimus tibi Domine calicem salutaris &c.* 2. est consecratio, & transsubstantiatio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, quæ fit his verbis. *Hoc est corpus meum. &c.* 3. est oblatio corporis, & sanguinis Christi, quæ fieri solet post consecrationem, his verbis. *Vnde & memores* Domine *offerimus maiestati tuæ hostiam puram &c.* 4. est fractio hostiæ, &

mixtio particulæ ipsius cum vino. 5. distributio, & sumptio Eucharistiæ, seu communio. hoc posito.

*Resp.* Sacrificium nouæ legis totum essentialiter perficitur consecratione: probatur, quia in consecratione inueniuntur omnia necessaria ad rationem Sacrificij, Nam quatenus fit in vtraque specie, per eam sufficienter repræsentatur mors, & passio Christi, qui quantùm est ex vi verborum, & significatione specierum, ponitur super altari separatim, quasi victima mactata. Quatenus verò fit maxima & supernaturalis immutatio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, vt hæ res tantæ dignitatis super altare positæ in honorem Dei cedant, potuit institui, ad potestandum supremum Dei dominium. Præterea, sola hæc actio propriè fit in persona Christi, qui est præcipuum agẽs, & offerens in hoc Sacrificio; in ea igitur sola consistit oblatio, seu Sacrificium. Quod attinet ad alias actiones supra enumeratas, eæ meritò excluduntur à ratione Sacrificij; Nam oblationes, tam ea quæ præcedit consecrationem, quàm ea quæ subsequitur, non semper vsurpatæ sunt ab Ecclesia: fractio Eucharistiæ consecratæ, eiusque particulæ

mixtio sunt tantũ ceremoniæ sacræ, quibus nusquam Christus legitur vsus, nec eas semper vsurpauit Ecclesia: distributio Eucharistiæ Laicis facta, & communio, quæ fit ab illis, prorsus extrinseca est huic Sacrificio, nec si omittatur censetur ideo Sacrificium imperfectum: sumptio verò, quæ fit à Sacerdote ad summum pertinet ad integritatem Sacrificij, vt sit nimirum veluti consummatio, & complementum totius immolationis.

Consecratio vtriusque speciei est-ne de essentia huius Sacrificij, 14

*Resp.* Ad essentiam Sacrificij nouæ legis, prout de facto institutum est à Christo, pertinet cõsecratio vtriusque speciei. Ratio est, quia Christus instituit hoc Sacrificium prout est expressa repræsentatio mortis, & passionis ipsius, vt patet ex iis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc est, repræsentando passionem meam: at ad talem repræsentationem requiritur intrinsecè consecratio vtriusque speciei; Igitur ad essentiam sacrificij pertinet consecratio vtriusq; speciei. Vnde hoc interest inter Sacramentũ Eucharistiæ, & Sacrificium, quòd illud ita in vtraque specie cõsistat, vt simul eti-

am essentialiter in altera tantùm inueniatur, quia ratio essentialis Sacramenti Eucharistiæ, quà Sacramentum est, non est, vt significet per modum conuiuij perfecti, & absoluti, sed vt absolutè significet refectionem spiritualem, quæ significatio in vtraque specie reperitur; Sacrificio verò essentiale sit, vt diserte repræsentet passionem Christi, quod in vnica tantùm specie non inuenitur.



## SECTIO IV.

## *De VI AGENDI SAcrificij Missæ.*

15. SAcrificium Missæ estne propitiatoriū, hoc est, habetne vim Deum flectendi ad condonanda peccata nostra.

*Resp.* Est propitiatoriū: docet Trid. sess. 22. c. 2. & probatur ex verbis institutionis, Math. enim 26. & Lucæ 22. Calix sanguinis Christi dicitur *Effundi*, siue

per sacrificium Deo offerri, *in remissionem peccatorum*, quod nihil est aliud, quàm hoc sacrificium esse propitiatorium. Verba autem Christi esse etiam intelligenda de sacrificio incruento supra ostensum est.

Sacrificium Missæ estne impetratorium, seu potestne offerri ad quæuis beneficia impetranda tam ipsis offerentibus, quã quibusuis alijs. 16.

*Resp.* Est impetratoriũ vtrisque: Nam non est minoris virtutis, quàm sacrificia veteris legis, quæ id præstabant, vt patet ex l. 2. Regum, & 1. Mach. 3. Adde quod hoc sacrificium sit perfectissimus actus virtutis religionis, ac proinde ad Dei beneficentiam erga nos excitandam aptissimus.

Sacrificium Missæ habetne vim conferendi effectum aliquem ex opere operato. 17.

Certum est Missæ Sacrificium habere posse vim aliquam agendi ex opere operantis; est enim, vt mox dictum est, opus religionis præstantissimum; itaque sicut reliqui actus virtutis procedentes ex charitate, & deuotione Deo placent, sic & sacrificium à probo Sacerdote Deo oblatum.

Dubium verò iam est, an idem Sacrificiũ vim habeat agendi ex opere operato, quod quid sit explicuimus, vbi de Sacramentis in genere.

*Resp.* Sacrificium Eucharistiæ habet vim agendi ex opere operato. Indicat Trid. sess. 22. c. 1. & probatur ex communi cõsensu Ecclesiæ; existimauit enim semper Ecclesia effectum huius sacrificij non pendere ex dispositione Ministri, sed ex certa lege, & pacto Dei, alioqui non magis posset hoc Sacrificium offerri pro alio, quàm sumptio ipsa Eucharistiæ, quæ cùm sit opus satisfactorium, meritorium, & impetratorium, potest offerri ex opere operantis, ad satisfaciendum pro alio &c. quod non est ad sensum, & praxim Ecclesiæ. Porro hunc effectum assequitur Missæ Sacrificium non attingendo illum physicè, sed moraliter tantùm; quippe qui positus sit in condonatione debiti, quam attingere influxu Physico non potest.

18. HAbetne Sacrificium specialem vim, seu valorem ad impetrandũ res illas, pro quibus impetrandis offertur, quæ vis neque sit ex opere operato, neque ex opere operantis.

Nota Sacrificium Missæ offerri a tribus, nimirum a Christo, tanquam a præcipuo Sacerdote, qui per hominẽ Sacerdotem, tanquam per ministrum suum offert; ab homine sacerdote, & ab Ecclesia, siue populo, qui etiam offert per Sacerdotem, sed non tanquam per ministrum, sed tanquam inferior per superiorem: Est enim Sacerdos populo maior, vt pote mediator inter Deum, & populum. Hoc posito.

*Resp.* Hoc Sacrificium ex vi suæ insti- 19.
tutionis habet specialem vim, vt varia à Deo impetret iis, pro quibus offertur, quæ vis neque est ex opere operato, neque ex opere operantis; Christus enim, in cuius persona offertur hoc Sacrificium, semper est dignissimus, qui quiduis a Deo impetret, idque independenter a bonitate ministri: qua ratione differt hæc vis tum a valore ex opere operato, qui determinatus est ad certum aliquem effectum, tum a valore operantis, qui in eiusdem bonitate positus est.

VAlor huius sacrificij estne infinitus. 20
*Resp.* Vtendum distinctione: Si

enim valor ſpectetur tam ex parte rei oblatæ, quam Chriſti id offerentis, eſt ſimpliciter infinitus: Chriſtus enim qui in hoc Sacrificio offertur, & qui ſeipſum in eo offert, eſt dignitatis infinitæ, quare cùm actio præcipuè mutuetur ſuam dignitatem ab agente, ſequitur oblationem eius eſſe valoris, ſeu dignitatis infinitæ. Si verò valor ſacrificij ſpectetur tam ex parte Eccleſiæ, quàm Miniſtri offerentis, finitus eſt duntaxat; quia huiuſmodi valor fundatur in ſanctitate tam Eccleſiæ, quàm Miniſtri; quæ ſimpliciter eſt infinita.



## SECTIO V.

## DE EFFECTV SACRIcrificij Miſſæ.

21. SAcrificium Miſſæ confertne primam gratiam, ſeu remiſſionem peccati mortalis, & quomodo.

*Reſp.* Valet quidem ad obti-

nendam a Deo remissionem peccatorum mortalium, atque adeo ad primam gratiā obtinendam, vt definiuit Trid. sess. 22. c. 1. hoc tamen non præstat immediatè ex opere operato (id enim ex nullo capite colligi potest) sed tantùm per modū impetrationis, idque mediatè tantùm, quatenus alicui impetrat, vel contritionem, vel susceptionem Sacramēti pœnitentiæ, sine quibus de lege Dei ordinaria nemo iustificatur: impetrat autē illa, quatenus a Deo impetrat auxilia, quibus homines excitantur, & mouentur ad eiusmodi actus eliciendos; quæ impetratio auxiliorum certa non est, & infallibilis, cùm doceat experientia non omnes eos, pro quibus offertur hoc Sacrificium, conuerti.

Confertne Sacrificium Missæ augmētum gratiæ, & quomodo: 21.

Rep. Hoc sacrificium per se, & ex vi institutionis suę, seu ex opere operato, nemini confert augmentum gratiæ, aut dispositionem ad illam: Hoc enim Sacrificio naturâ suâ non conuenit, nec aliunde exstat talis institutio, vel promissio Dei: valet tamen hoc Sacrificium ad augmentum gratiæ, mediante dispositione, & merito

operantis, quod meritum illi impetrat: patet ex supradictis; si enim valet ad impetrandum pœnitentiam peccatori, valere quoque potest ad impetrandum iusto actũ meritorium, quo in gratia crescat.

22 COnfertne hoc Sacrificium remissionem venialium, & quomodo.

*Resp.* Hoc Sacrificium nunquam immediatè, & ex opere operato confert remissionem venialium: nulla enim exstat ea de re promissio; sed mediante actu doloris & detestationis ipsius, quem impetrat: offertur enim ab Ecclesia in remissionem eorum peccatorum. Nemini verò ex ordinaria Dei lege potest impetrari talis effectus, nisi mediante actu proprio, quo quis peccatum detestetur. Porro ea impetratio in vniuersum loquendo non est infallibilis.

23 REmittiturne per hoc Sacrificium ex opere operato pœna temporalis peccatis debita.

*Resp.* Hoc Sacrificiũ confert ex opere operato remissionẽ pœnæ, quæ luenda superest post culpæ remissionem: probatur inductione; probatum enim est hoc Sacrificium

crificium habere effectum aliquem ex opere operato, nec alius aſſignari poteſt, qui ab eo ita procedat, præter remiſſionē pœnæ, ergo illum confert.

HOc Sacrificium tollitne omnem omnino pœnam peccatis debitam ab eo, 24
pro quo offertur.

Reſp. Non omnem ſemper tollit: patet ex vſu Eccleſiæ, quæ pro eodem defuncto plura offert ſacrificia.

HOc Sacrificium nonne etiam tollit pœnam per modum impetrationis.

Reſp. Tollit etiam hoc modo, ſi ea intentione à Sacerdote offeratur; ex eo enim quod pœnam tollat ex opere operato, non amittit vim eam tollendi per modum impetrationis.

CVm hoc Sacrificium offertur pro alio, 26
tollitne immediatè pœnam aliquam ab illo, ſine vllo proprio actu ſatisfactorio ipſius.

Reſp. Veriſimilius videtur id fieri per modum immediatæ applicationis ſatisfactionis Chriſti peractæ in cruce, idque non

modò vt agit ex opere operato, sed etiam per modum impetrationis. Docet id vsus Ecclesiæ, quæ offert hoc Sacrificium pro defunctis, in quibus nulla potest esse satisfactio, sed satispassio tantùm.

27 Confert-ne hoc Sacrificium ad bona temporalia impetranda & quomodo.

*Resp.* Confert ad ea obtinenda; fieri enim non potest, vt eius oblatione, veluti obsequio Deo ipsi gratissimo eius beneuolentiam non demereamur, ad impetrãdum quodunque beneficium. Cæterùm id ei non conuenit ex opere operato, sed per modum impetrationis. Si enim non valet ad remissionem peccatorum ex opere operato conferendam, multò minùs valebit ad ea bona.


28 Est-ne effectus huius Sacrificij infinitus.

Nota bifariam posse aliquid esse infinitum. Primò intensione, Secundo extensione, seu multitudine.

*Resp.* Effectus, qui ab hoc Sacrificio procedit, siue ex opere operato, siue per modum impetrationis, finitus est, secun-

dùm intenſionem, quia nullus effectus po-
teſt eſſe infinitus ſecundùm intenſionem.
Quando tamen plures cum Sacerdote offe-
runt idem Sacrificium, ſinguli accipiunt
totum, ac integrum fructum, qui illis de-
betur ex opere operato, quatenus ſunt
offerentes, neque minorem, quàm ſi vnus
tantùm offerret: alioquin enim quò plures
conuenirent ad idem Sacrum audiendum,
& Sacrificium offerendum cum Sacerdote,
eò minorem fructum reciperent, quod ab-
ſurdum eſt. Quod ſi quæſtio ſit de fructu
Sacrificij, qui oblationi Sacerdotis ex ope-
re operato reſpondet, quique ab eo poteſt
aliis applicari, eò à ſingulis imperfectiùs
participatur, quò pluribus ab eo applica-
tur: alias enim Sacerdotes nunquam debe-
rent illud pro vno tantùm offerre, ſed pro
multis; imò verò pro omnibus viuentibus,
ac defunctis, cùm id facilè fieri poſſet, ci-
tra incommodum aliorum, pro quibus vel-
lent illud peculiariter offerre; quod tamen
repugnat praxi, & cōſuetudini Eccleſiæ. De
nique is effectus Sacrificij Miſſæ, qui ab
eo per modum impetrationis proficiſcitur,
quantùm eſt ex parte Sacrificij, poteſt mul-
tiplicari in iis omnibus, pro quibus offertur
quia hæc oblatio tam ex parte rei oblatæ,

quā personæ offerentis, qui est Christus, est infinitæ dignitatis, ergo quantùm est ex se habet vim infinitam ad impetrandum; atq; ita sufficiens est ad impetranda quæuis beneficia, & si in infinitum multiplicētur: Aliunde tamen fieri potest, vt non tantùm valeat pro multis oblatum, quantùm pro vno, quia nimirum commensuratur orationi, per quam applicatur, quæ oratio, cæteris paribus, facilior est ad impetrandum rem postulatam, si pro vno fiat, quàm si pro multis.



## SECTIO VI.

### *DE OFFERENTIBVS Sacrificium Missæ, & fructu eorum oblationi respondente.*

29 SAcrificium Missæ offertur-ne à Christo, & quomodo.

*Resp.* Offertur à Christo Domino, tanquam à summo, & supremo Sacerdote, idque immediatè,

& propriè, non tantùm quòd illud actu offerat per Sacerdotem ministrum, sed etiam quòd illud immediatè offerat cum Sacerdote, referatque in honorem, & cultum Dei. 1. pars probatur a Trid. quod ait *eundem Christum esse hic præcipuum offerentem.* 2. pars, quòd scilicet immediatè, & propriè illud offerat, probatur, ex eo quòd ita ad actiones Sacramentorum concurrat.

POssunt-ne soli Sacerdotes hoc Sacrificium offerre, tanquã proprij ministri Christi. 30

Resp. Soli Sacerdotes, certa ceremonia, ac ritu in Ecclesia ordinati possunt hoc Sacrificium offerre. Est de fide ex Trid. & ratio est, quia hoc Sacrificium est verum, & proprium Sacrificium; hoc autem requirit Sacerdotem proprium.

POssunt ne Sacerdotes omnes in Ecclesia ordinati validè offerre hoc Sacrificium. 31

Resp. Possunt, quia facultas offerendi, vt cõsecrandi innititur caractere, qui indelebilis est.

32 OFfertur-ne hoc Sacrificium ab aliis fidelibus, & quomodo.

*Resp.* Offertur quidẽ etiã ab aliis fidelib⁹, iisque præcipuè qui vel illi intersunt, vel curant illud offerendum, offertur, inquam, non cõcurrendo ad illud physico quodam influxu, sed morali: ratione cuius meritò vulgo censentur peculiari ratione offerre hoc sacrificium.

33 OFfertur-ne etiam hoc Sacrificium à tota Ecclesia.

*Resp.* Offertur; docet enim Trid. *Christum dilectæ suæ sponsæ reliquisse hoc Sacrificium visibile, vt illud offerret.* Offertur verò ab Ecclesia non verè, & propriè, sed tantùm per extrinsecam denominationem, nimirum vel quaten⁹ offert per Sacerdotes, qui sũt mẽbra ipsius, vel quaten⁹ Sacerdotes sũt instituti tanquam publici Ministri ad offerendas preces, & Sacrificia &c.

34 REspondetne aliquis effectus oblationi huius Sacrificij, à quocunque tandem offeratur.

Nota ex supra dictis duplicem esse huius Sacrificij effectum; vnus est per modum

impetrationis, alter verò ex opere operato. Nota item offerentes hoc Sacrificium esse in quadruplici differentia, Christum, Ecclesiam, Sacerdotes, & fideles peculiari ratione offerentes & assistentes Sacrificio.

*Resp*. Oblationi huius Sacrificij à quocunque tandem fiat, correspondet effectus aliquis per modum impetrationis, idque ob sanctitatem, & dignitatem tam rei in eo oblatæ, quam Christi præcipui offerentis. Ad hæc oblationi huius sacrificij, prout fit à sacerdote offerente in persona Christi, respondet aliquis effectus ex opere operato (talis enim oblatio est proprium Sacrificiũ) qui distĩctus nõ est ab eo, qui ex opere operato correspõdet oblationi Christi vel Ecclesiæ, actio enim Christi eadem est cum oblatione Sacerdotis, ac proinde idem fructus, ac satisfactio. Ecclesia verò non offert verè, & propriè per aliquam actionem, sed tantùm denominatione quadam, vt dictũ est. Fructus autem satisfactionis Christi nemini applicatur ex opere operato, nisi per veram actionem. Denique oblationi fidelium, qui suo modò concurrunt ad Sacrificium, respondet aliquis effectus ex opere operato, id enim magis est consentaneum bonitati, & dignitati Christi, &

deuotioni fidelium.

35 EFfectus satisfactionis, qui respondet oblationi Sacerdotis, vt Sacerdos est, est ne diuersus ab eo, qui respondet eidem oblationi, prout ab eo offertur, vt est priuata persona.

Resp. Est diuersus, cuius diuersitatis præcipua ratio hæc est, quòd sanctitas ministri necessaria non sit ad priorem effectum, alioquin Missa facta à Sacerdotibus impiis nihil prodesset aliis, quod absurdum est: necessaria autem sit ad posteriorem; quia in oblatione minister non operatur in persona Christi, sed in propria, & priuata: Quare mirum non est, si dispositio in eo requiratur, cùm pœna non remittatur, nisi ei, qui est in gratia.





# SECTIO VII.

## *DE INTENTIONE SAcerdotis celebrantis.*

QVæ intentio requiritur in Sacerdote ad applicandum effectum Sacrificij, qui reſpõdet ex opere operato oblationi eius, vt operatur in perſona Chriſti. 36

Reſp. Vt talis effectus ( quem ſupra diximus eſſe remiſſionem pœnæ) alicui communicetur, neceſſaria eſt intentio Sacerdotis, qua velit eam illi applicare ; eſt enim Sacerdos proprius Miniſter, & diſpenſator Sacrificij, & myſteriorum Dei; Illa autem intentio non neceſſariò debet eſſe formalis, ſed ſufficit, ſi virtualis ſit.

SI Sacerdos fructum qui Sacrificio reſpondet ex opere operato, nec formaliter, nec virtute vlli applicaret, aut eum alicui applicaret, qui non eſſet capax illius, 37


vel eo non egeret, cui vſui eſſet talis fructus.

*Reſp.* In eo caſu remaneret eiuſmodi fructus in theſauro Eccleſiæ, vt conſtat tantùm ex ſatisfactionibus, & meritis Chriſti; eſt enim pars aliqua antiquæ ſatisfactionis Chriſti, quœ eſt iam tota in Eccleſiæ theſauro,

38 QVando-nam intentio illa debet eſſe in Sacerdote,

*Reſp.* Debet in eo eſſe vel priùſquàm offerat, nempe ante conſecrationem, vel tempore conſecrationis. Ratio eſt, quia Sacrificium tantùm eſt in poteſtate Miniſtri, quandiu offertur, ergo & effectus illius.





# SECTIO VIII.

## *DE IIS PRO QVIBVS offerri poteſt Miſſæ Sacrificium.*

IS à quo offertur hoc Sacrificium, poteſtne pro ſe illud offerre. 39

*Reſp.* Chriſtus pro ſe non offert, ex D. Paulo ad Hæb. 5. alij offerentes poſſunt pro ſe illud offerre; patet tum ex eodem D. Paulo ibid. tum quia poteſt illis prodeſſe, ſiue ex opere operato, ſiue quoad effectum impetrationis.

POteſtne hoc Sacrificium pro alijs offerri. 40

*Reſp.* Poteſt, ex D. Paulo ſupra; deinde ex vſu, & praxi Eccleſiæ, huiuſque Sacrificij inſtitutione.

POteſtne hoc Sacrificium offerri pro viuis. 41

Nota viuentium Varia esse genera: alij sunt fideles, alij infideles; fideliũ alij baptizati, alij Catechumeni: Baptizatorũ alij infantes, alij adulti, quorum alij iusti, alij peccatores, quorum nonnulli tolerantur ab alijs, alij non tolerantur: infideliũ autem alij sunt subiecti Ecclesiæ, vt Apostatæ a fide, alij non subiecti.

*Resp.* Hoc Sacrificium potest, & debet offerri a Sacerdote pro fidelibus omnibus baptizatis, ac toleratis; Est enim hoc Sacrificium commune bonum totius Ecclesiæ, cuius valor infinit⁹ est, ac proinde pro omnibus offerri potest, & debet. Potest itẽ offerri pro Catechumenis fidelibus, quia per fidẽ vniti sunt Ecclesiæ, & Christo eius capiti: imò pro infidelibus quibuscunque, qui non sunt subditi Ecclesiæ, cũ hoc nec malum sit, neque in contrarium exstet vlla prohibitio Ecclesiæ. Non licet verò Sacerdoti fungenti vice publici Ministri offerre Sacrificium pro excommunicatis, vel ab Ecclesia præcisis, id enim prohibetur ab Ecclesia in c. Nobis, & in c. sacris, de senten. excom. Nisi id fiat ex intione priuata Sacerdotis, cui etiam licet in suo Memento peculiari Oratione orare pro iisdem excommunicatis.

LIcetne hoc Sacrificiũ Offerre pro de- 42
functis.


Nota, defuncti vel sunt damnati, vel detinẽtur in purgatorio, vel sunt beati.

*Resp.* Vt illud offerre non licet pro dãnatis, quia illis prodesse nequit, sic pro animabus purgatorij offerre licet ex Trid. sess. 22. c. 2. & ex perpetuo vsu Ecclesiæ ab Apostolis profecto.

QVomodo hoc Sacrificium prodest a- 43
nimabus purgatorij.

*Resp.* Habet quoad illas infallibilẽ effectum, atque adeo ex opere operato; hoc enim magis pertinet ad dignitatem tum Christi, tum ipsius sacrificij. Quod ad sanctos attinet, non illis offertur hoc Sacrificium, nec illis eriguntur templa, vel altaria, sed soli Deo, nec pro illis offertur hoc Sacrificium, seu quâ propitiatorium, cùm iam immunes sint ab omni malo tam culpæ, quàm pœnæ; seu quâ impetratorium, pro augenda eorum gloria essentiali: potest tamen, quatenùs est sacrificium laudis, offerri Deo pro sanctis, quatenus offertur Deo in gratiarum actionem, pro beneficijs ab ipso in eos collatis; vt & po-

test pro iis offerri, ad impetrandum illis maiorem honorem externum, quod dum fit, non tam pro sanctis oramus, quàm pro nobis; oramus enim vt magis, ac magis à fidelibus glorificentur, quod ad vtilitatem nostram pertinet, licet in eorum quoque vtilitatem redundet.



## SECTIO IX.

### *DE DISPOSITIONIbus requisitis ad fructum Sacrificij ex opere operato consequendum, deque eius fine duplici.*

44 QVæ dispositiones requiruntur in eo, pro quo offertur hoc Sacrificium, vt in illo habeat effectum ex opere operato.

*Resp.* 1. Conditio est, vt supersit illi pœna aliqua luenda. 2. vt sit Baptizatus. 3. vt sit viator, 4. vt habeat gratiam iustificãtem, prætersquã non requiritur alia actua-

lis diſpoſitio.

EFfectus ille, qui eſt ex opere operato, datur ne intenſior ei, qui vel habitualiter, vel actualiter eſt meliùs diſpoſitus. 45

*Reſp.* Non, ſed id totum pẽdet ex intentione applicantis, itaut ſublato obice tantus ſit, quantum vult applicans.

QVomodo hic effectus ex opere operato iis prodeſt, pro quibus offertur hoc ſacrificium. 46

R*eſp.* Fructus ille iis tantùm applicatur, quibus libet Sacerdoti eum applicare, & prout vult eum applicare; itaut ſi velit vni tantũ eũ totũ applicare, totus ei applicetur; ſi pluribus æqualiter, æqualiter eis applicetur, ſi inæqualiter, inæqualiter: Illi enim ſoli commiſſa eſt applicatio talis effectus.


QVis eſt finis huius Sacrificij.

R*eſp.* Is duplex eſt, vnus præcipuus, qui eſt honor Dei, cui ſoli offertur hoc Sacrificium, ex Trid. ſeſſ. 22. c. 3. Alter ſecundarius, qui eſt vtilitas ſpiritualis tam viuorum, quàm defunctorum: prætereа laus, & honor ſanctorum. 47



# SECTIO X.

## DE PERFECTIONE SAcrificij Missæ, eiusque cum alijs comparatione.

48 Vomodo differt hoc Sacrificiũ à Sacrificiis veteris legis, & de perfectione illius, si cum iis conferatur.

*Resp.* Differt hoc Sacrificium essentialiter à Sacrificiis omnibus antiquæ legis, vt patet ex ritu offerendi, materia oblationis, & re oblata; eaque infinitè superat in perfectione, & dignitate, valore, & efficacia, vt meritò dixerit Trid. sess. 22. c. 1. *Hoc Sacrificium esse omnium aliorum consummationem, & perfectionem.*

49 QVomodo differt hoc Sacrificiũ, quatenus à nobis offertur à sacrificio Christi in nocte cœnæ, & quodnam eorum

est

eſt præſtantius.

R*eſp.* Licet eiuſdē ſint ſpeciei (eſt enim vtrobique idem ritus, eadem materia, eadē res oblata, idem præcipuum offerens) differunt tamen ſecundùm accidentia quædã, ratione quorum ſe ſe mutuò ſuperant in perfectione accidentali, ſi enim conferatur Chriſtus, vt fuit tunc præcipuus offerens cum Sacerdote, qui nunc offert, pręſtat Sacrificium oblatum in nocte cœnæ: ſi autem res oblata cum re oblata, Sacrificiũ Miſſæ eſt præſtãtius, erat enim Chriſtus in nocte cœnæ mortalis, nunc autem immortalis, & impaſſibilis.

QVomodo differt hoc Sacrificium à 50
Sacrificio crucis.

R*eſp.* Veriſimilius eſt differre ab illo eſſentialiter; quia alia eſt ſpecie actio, per quam ſacrificatur Chriſtus in Miſſa, ab ea, qua immolatus eſt in cruce.

VTrum alteri dignitate præſtat. 51

R*eſp.* Neutrum abſolutè eſt perfectius altero, ſed ſe ſe ſuperant, ſecundùm diuerſas rationes. Hæc de Miſſę Sacrificio.



# CAPVT VI.

## DE POENITENTIA.

## SECTIO I.

### DE NOMINE, NATVTVRA, & partibus Pœnitentiæ.

1. VÆNAM est huius vocis *Pœnitentia*, significatio.

*Resp.* Deriuatur hoc nomen a pœnitere, quod pœnā tenere significat, quasi semper in se vlciscendo, quod commissum est peccando, vt dicitur l. de vera, & falsa Pœnitētia. Sumitur verò Pœnitētia. 1. pro virtute, ac habitu quodam voluntatem hominis inclinante ad satisfaciendum Deo pro peccatis. 2. pro pœna illa, quam peccator sumit de seipso in

vindictam peccatorum, siue sponte, siue iussu confessarij id faciat. 3. pro quodam ritu externo in lege noua à Christo instituto, qui positus est in absolutione sacerdotali, & certis quibusdam actibus Pœnitentis &c. & sic sumpta Pœnitentia interdum vocatur a patribus *Reconciliatio*, *Absolutio*, *Confessio*, *seu Exomologesis*, & denique *manus impositio*.

POEnitentia tertio illo modo sumpta estne Sacramentum nouæ legis. 2.

*Resp.* Fide tenendum est esse verum, & proprium nouæ legis Sacramentum. Ita Floren. in literis Eugenij, & Trid. sess. 14. can. 1. & ratio est, quia in eo reperiuntur omnia necessaria ad rationem Sacramenti. 1. signum aliquod sacrum, externum, ac sensile. 2. Institutio Christi, ac præceptum de eo vsurpando. 3. Promissio gratiæ iustificantis, quæ omnia constant ex c. 20. Ioannis, vbi Christus Apostolis ait *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt,*

SAcramentum Pœnitentiæ constatne essentialiter his quatuor partibus, Absolutione, Contritione, Confessione, & Sa- 3.

tisfactione.

*Resp.* Hæ quatuor actiones, Absolutio, Contritio, Confessio, & Satisfactio, pertinent quidem ad substantiam, & integritatem huius Sacramenti, non sunt tamē omnes de eius essentia, sed solæ tres priores, satisfactio autem est tantùm pars integrās. Quod quatuor illæ actiones sint de integritate illius probatur, quia Contritio, Confessio, & Satisfactio, pertinent ad materiā, Absolutio ab formā huius Sacramenti; materia autem, & forma sunt nomina partium vel essentialium, vel integrantium. Quod verò Absolutio, Contritio, & Confessio sint de essentia huius Sacramenti probatur ex eo quòd cuiuslibet earum defectu tollitur essentia pœnitentiæ. Quòd denique satisfactio sit tantùm pars integrans, ostenditur ex eo, quòd in articulo mortis dari possit absolutio sine satisfactione, quæ iniungatur.

4 ESt-ne in hoc Sacramento aliquid, quod sit Sacramentum tātùm, aliquid quod res Sacramēti tantùm, & aliquid quod sit Sacramentum, & res Sacramenti simul.

Resp. Tria illa hic designari possunt, Confessio enim, & absolutio sunt Sacramentum tantùm; quia ita significant, & causant gratiam, vt ab aliis non significentur. Res Sacramenti tantùm est remissio peccati, & gratia, quæ ita significatur, vt non significet. Res Sacramenti, & Sacramentum simul, est Contritio, seu Attritio, quæ & significat gratiam, & significatur à Confessione, & absolutione.



## SECTIO VI.

## *DE MATERIA, ET forma Pœnitentiæ.*

QVæ est materia huius Sacramẽti Pœnitentiæ. 5

Resp. Materia proxima, & ex qua constat Sacramentum Pœnitentiæ, sunt tres actus pœnitentis, scilicet Contritio, Confessio, & Satisfactio, ex Florent. & Trid. nihil enim est in Pœni-

nitentia, quod locum habeat materiæ, præter illos actus. Materia verò remota, & circa quam tollendam versatur hoc Sacramentum, sicut Medicina circa vulnera, sũt omnia, & sola peccata, propria voluntate, seu sponte commissa post baptismum, de iis enim tantùm potest verè, & propriè dolere, pœnitens, eáque subiicere clauibus, & potestati Ecclesiæ.

6 PEccata iam confessa, & à quibus iam quis est absolutus, possunt-ne iterum subiici clauibus, & Sacramento pœnitentiæ.

*Resp.* Possunt non modò licitè, & validè, sed etiam cum fructu ad gratiam consequendam; quia materia proxima huius Sacramenti tantùm est dolorosa confessio peccatorum admissorum post baptismum; potest autem quis iterum dolere, ac confiteri de peccatis iam dimissis.

7 SVnt ne peccatum mortale, & veniale eodem modò materia Sacramenti Pœnitentiæ.

*Resp.* Non; mortale enim est materia eius necessaria; veniàle verò sufficiens qui-

dem, sed non necessaria; Sacramentum enim Pœnitentiæ per se institutum est ad remissionem mortalium, itaut si cognoscãtur, non remittantur, nisi per ipsum, vel in ordine ad ipsum. Trid. sess. 14. c. 1. A venialibus verò etsi quis absolui possit, si de iis dolere velit, eaque confiteri, ac proinde dici possint materia sufficiens; nemò tamen de iis confiteri tenetur, cùm multis aliis remediis expiari possint, vt ait idem Trid. ibidem. c. 5.

QVænam est forma Sacramenti Pœnitentiæ.

*Resp.* Hæc, *Ego te absoluo a peccatis tuis.* Colligitur hęc forma ex verbis illis Ioa.20. *Quorum remiseritis peccata &c.* eodem modo, quo forma Baptismi ex verbis illis Math. 28. *Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine &c.* Nota tamen totam formam solis duobus his verbis, *Te absoluo*, præcisè contineri, eo enim ipso, quo à Sacerdote proferantur, peracta confessione, satis intelligitur ea significare remissionem peccatorum: ex quo consequens est alia verba, quæ per modum precum adduntur. *Passio Domini nostri Iesu Christi &c.* multò minùs esse de essentia talis formæ, quàm illa, *à pec-*

*catis tuis.* nec ad eã magis pertinere alia, quæ absolutione iam data addi solent, tametsi ex vsu Ecclesiæ vtiliter adhibeantur, nec ordinariè omitti debeant. nisi necessitas vrgeat.

9 QVisnam est sensus formæ huius Sacramenti.

*Resp.* Sensus est, Sacerdotem verè, & propriè absoluere Pœnitentem, quantùm est tam ex parte ipsius Sacerdotis, quàm Sacramenti: Absoluere, inquam, à peccato, quatenus ligat, vel secundùm culpam, vel secundùm pœnam æternam, aut temporalem, vel secundùm aliquam aliam rationem, si confessio vera sit.

10 TOllitur-ne verè, & propriè virtute absolutionis reatus pœnæ æternæ, tam sensus, quàm damni, præter ipsam culpæ remissionem.

*Resp.* Tollitur, quia effectus proprius huius Sacramenti est tollere peccatum, & facere amicum Dei, ac hæredem gloriæ; non potest autem quis acceptari ad gloriam (saltem de lege ordinaria) quandiu in eo manet reatus pœnæ æternæ: Quare

beneficio abſolutionis remittitur eiuſmodi reatus.

REquiritur-ne impoſitio manuum Sacerdotis ad hoc Sacramentum. 11


*Reſp.* Ceremonia illa non eſt eſſentialis huic Sacramento, cùm nec ad materiam, nec ad formam eius pertineat: tamen omitti non debet, vbi moris eſt eam vſurpare. Idemque dicendum de ſigno crucis, cuius vſus ob eius ſignificationé præcipuè commendatur; ſignificat enim poteſtatem Sacerdotis in pœnitentem, & huius ſubiectionem, & reconciliationem cum Deo, ſingularem denique Dei protectionem, prouidentiam, ac curam de pœnitente.





# SECTIO III.

## DE NECESSITATE Pœnitentiæ ad salutem, eiusque institutione.

12 
ESt-ne Sacramentum Pœnitentiæ ad salutem necessarium.

Resp. Supposito rerum statu, in quo nunc sumus, Sacramentum Pœnitentiæ necessarium est ad salutem, necessitate medij omnibus læthaliter peccantibus post Baptismum, quæ necessitas orta est ex institutione Christi, qui Ioa. 20. his verbis. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt,* Sacerdotes ita constituit iudices offensarum in Deum, vt sine illorum sententia, & absolutione, nemini velit peccata mortalia remitti: quæ tamen remissio necessaria est, necessitate medij ad salutem: Quod tamen non ita strictè intelligendum est, vt realis susceptio huius Sa-

cramenti ſit abſolutè neceſſaria ad ſalutem ſed vel realis, vel in voto: Cùm enim ſcriptura paſſim veniam polliceatur peccatori vel contrito, vel conuertenti ſe ad Deum, & aliunde habeamus hoc Sacramentum eſſe ad ſalutem neceſſarium, vt hæc inter ſe concilientur, dicendum contritionem quidem iuſtificare ſine Sacramento Pœnitentiæ realiter ſuſcepto, non tamen niſi vt continet votům quoddam, ac deſiderium eius ſuo tempore ſuſcipiendi, itaut reipſa ſuſcipi debeat, ſi eius ſuſcipiendi facultas ſe ſe offerat. Addo tale votum non debere neceſſariò eſſe explicitum, ſed ſufficere implicitum, vt ſupra de Baptiſmo dictum eſt.

EStne pœnitentia ſecunda poſt naufragium tabula, & quare. 13

*Reſp.* Rectè dicitur Pœnitentia ſecunda poſt naufragium tabula, quia eſt veluti ſecundum remedium neceſſarium ad portum ſalutis tenendum, poſt nauim iuſtitiæ originalis effractam; Eſt enim Baptiſmus primum remedium, primáue tabula.

QVo tempore fuit hoc Sacramentum inſtuitum. 14

Reſp. Inſtitutum fuit à Chriſto poſt reſurrectionem Ioa. 20. & ſi enim Chriſtus Petro antea pollicitus erat poteſtatem clauium, Math. 18. eam tamen ei non tradidit niſi poſt reſurrectionem Ioa. 20. cùm inſufflando dixit Apoſtolis, *Accipite ſpiritũ ſanctum, quorum remiſeritis, &c.*

15 ASſignanturne conuenienter partes Pœnitentiæ Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.

Reſp. Conuenienter aſſignantur tres tantùm partes integrantes Pœnitentiæ, nimirum Contritio, Confeſſio, & ſatisfactio. Ita Florent. in decreto vnionis, & Trid. ſeſſ. 14. c. 3. & can. 3. Dixi, partes integrãtes, quia partes Pœnitentiæ ſubiectiuæ eſſe non poſſunt, cùm in ſingulis non inueniatur tota ratio talis Sacramenti.





## SECTIO IV.

## DE CONTRITIONE, ET Attritione.

QVibus nominibus dicitur Contritio, & quomodo diuiditur. 16

Resp. Actus ille voluntatis, quo peccatum deteſtamur, & quoad fieri poteſt abolemus, ac conſequẽter voluntatem ipſam, quæ velut in peccato obdurverat, comminuimus, *Contritio* dicitur, Metaphorâ ductâ à corporibus duris, quæ vi impacta comminuuntur. Alia quoque ſortitur nomina in ſcriptura, vt *Compunctionis*, Pſal. 4. *in cubilibus veſtris compungimini*: *amaritudinis*, Iſay. 48. *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ.* Diuiditur verò Contritio in perfectam, & imperfectã: perfecta, quæ & abſolutè Contritio dicitur. *Eſt actus voluntatis, quo deteſtamur peccatum, vt eſt offenſa Dei ſuper omnia amati.* Imperfecta verò, quæ & Attritio vulgo nuncupatur, *Eſt dolor, vel deteſtatio peccati*

*aut propter pœnas inferni, aut propter turpitudinem, quæ peccato inest.*

17 ESTne Contritio detestatio, seu odium peccati, an verò potius dolor.

*Resp.* Est detestatio, seu odium, nam Contritio fertur in peccatũ, tanquã Deo, & eius amicitiæ contrarium; Id autem fit per detestationem, & odium.

18 QVid est ista detestatio peccati.

*Resp.* Est nolitio quædam conditionata peccati, quæ explicatur hoc actu, nollem peccasse si fieri posset; quia verò apprehenditur peccatum non posse non esse præteritum, inde sequitur dolor.

19 AD veram Contritionem estne necessarium propositũ non peccandi amplius saltem mortaliter, confitendi, satisfaciendi, ac reliqua mandata obseruandi.

*Resp.* Non est necessarium vt eiusmodi propositum formale sit, & expressum, sed sufficit implicitum, quod in ipso actu detestationis peccati continetur; Nam Cõtritio non accipit vim illam suam iustificãdi ab illo proposito, sed ex eo quod conti-

neat amorem virtualem Dei super omnia, seu hominem perfectè conuertat ad Deũ; quare si illud absit, nihilominus iustificabit. Si tamen mentem, & memoriã subeat cogitatio vitæ deinceps instituendæ, item obligationis, quam quisque habet ad confitendum, satisfaciendum, seruandumque reliqua Dei mandata, Contritio vera esse nequit sine proposito formali, & expresso eorum omnium, vt colligere est ex scriptura, quę non magis præcipit dolorem, quã propositum ea deinceps euitandi, seruandique Dei mandata.

Estne necesse ad rationem veræ Contritionis, vt sit de omnibus, & singulis peccatis læthalibus. 20

Resp. Non est necesse, vt sit de omnibus peccatis mortalibus in particulari, seu diuisim sumptis; sed sufficit generalis detestatio, vel dolor, qui ad omnia virtute extẽdatur, seu nullum excludat. Ratio est, quia momentis singulis potest quis iustificari, vt docetur Isay. 3. *Cum reuersus ingemueris, saluus eris*, & Ezech. 33. *Impietas impij nõ nocebit ei, in quacunque die* ( dies autem pro momento sumitur ) *conuersus fuerit ab impietate sua*: Quocunque autem momento non

possunt omnia, & singula peccata in memoriam reuocari, sed interdum multo ad id tempore opus est.

21 QVanta debet esse Cõtritio, quoad durationem, vt iustificet.

*Resp.* Quod aliqua temporis intercapedine durare debeat Contritio, sacræ paginæ non indicant, sed potiùs innuunt, quouis momento peccatorem posse gratiam Dei sibi conciliare; videturque id naturæ contritionis maximè consentaneum, quæ ex natura, & specie sua habet, vt cùm in indiuisibili consistat, possit acquiri in quolibet instanti.

22 QValis debet esse Contritio, quoad intensionem, vt possit iustificare.

*Resp.* Optimum quidem est intensiùs, & vehementiùs dolere de peccatis commissis, quàm de damnis tẽporalibus, & de grauioribus vehementiùs, quàm de leuiorib⁹; vt tamen Contritio talis sit, qualis requiritur ad remissionem peccati, id non est necessarium, sed tantùm vt ea summa sit appretiatiuè, seu quoad æstimationem, hoc est, vt virtute illius homo sit ita affectus, vt malit

vt malit peccato carere, quàm quouis alio malo, malitque quæcunque mala incurrere, quàm Deum iterũ offendere; hoc enim est pluris facere amorem Dei, quàm cuiusuis alterius rei. Ratio horum est, quia Contritio hominem iustificat, quatenus eum auertit à peccato, & ad Deum conuertit; hoc autem habet in quouis gradu intensionis: Quare non est necesse ad remissionem peccati, vt peccator vehementiùs doleat de peccatis commissis, quàm de damnis tẽporalibus &c. Non potest autem non esse summa appretiatiuè cuiuscunque sit intẽsionis, quia hoc ex natura, & essentia suæ ei conuenit; tota autem essentia actus potest perseuerare in quouis gradu intensionis, cùm intensio, & remissio non mutent speciem.

POtestne Contritio esse nimia. 23

*Resp.* Contritio, quæ est detestatio peccati, & in voluntate cõsistit, nimia esse non potest, per se loquendo; sed quò in-intensior est, eò salubrior, & aptior ad pœnam, quæ peccatis debetur, minuendam: quatenus tamen redundat in sensum, eumque afficit, nimia esse posset, ac proinde cohiberi deberet, si deprehenderetur nota-

bile nocumentum afferre corpori; debet enim esse rationabile obsequium nostrum. Rom. 12.

24 AD actum contritionis eliciendum, requiritur-ne speciale, & supernaturale auxilium Dei.

*Resp.* Requiritur; vt enim ad actum naturalem requiritur auxilium naturale, sic ad supernaturalem, supernaturale: at contritionis actus est supernaturalis, quippe cuius motiuum est supernaturale, nempe offensa Dei autoris supernaturalis gratiæ; quare ad eum eliciendum requiritur auxilium supernaturale. Non ita est tamen Contritio à gratia adiuuante, quin etiam sit à libero arbitrio: sumus enim ea in re Dei cooperatores.

25 COntritio, quæ est actus Charitatis, elicitur-ne effectiuè ab ipsa.

Subindicatum est supra actum Contritionis pertinere ad virtutem Charitatis: Iam verò quæritur, an etiam effectiuè eliciatur ab habitu Charitatis.

*Resp.* Contritio, quæ est vltima dispositio ad gratiam, non procedit effectiuè ab

illa, vel à Charitate, ſed ab auxilio Dei ſupernaturali, & à libero arbitrio. Probatur ex Trid. ſeſſ. 6. c. 5. & 6. & maximè can. 3. vbi ſic habet *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Vnde conſtat eos actus, qui præcedunt iuſtificationem, inter quos eſt Contritio, procedere a ſpeciali Dei auxilio; gratiam verò & Charitatem tribui illis in eo iam præexiſtentibus, tanquam diſpoſitionibus: vnde colligo eos actus à charitate non procedere effectiuè, ſed a libero arbitrio adiuto à Deo.

QVomodo differt Contritio ab Attritione, quæ coniuncta cum Sacramento ſufficit ad iuſtificationem. 26

Reſp. Ex definitionibus Contritionis, & Attritionis ſupra allatis colligere eſt 1. vtrumque hũc actum eſſe ſupernaturalem, tum quia vterque eſt ex motiuo ſupernaturali, tum quia vterque diſponit ad gratiam; diſpoſitio autem, & forma ſunt eiuſdem ordinis. 2. per vtrumque actum hominem auerti à quocunque peccato mortali, quia

vtriusque motiuum repugnat omnibus, & singulis huiusmodi peccatis. 3. dolorem omnem, qui non excludit omnem voluntaté peccandi, vel non est secũdùm Deum, cuiusmodi est timor mortis, pœnæ temporalis, iacturæ bonorum &c. non esse veram attritionem, quæ sufficit ad gratiam accipiendam in Sacramento. Ex his rursus facilè assignantur quatuor præcipua discrimina, quæ sunt inter Contritionem, & Attritionem 1. est ex parte obiecti; Contritio enim est detestatio peccati, vt est offensa Dei super omnia amati; Attritio verò detestatio peccati, propter pœnas inferni, vel turpitudinem, quæ peccato inest. 2. est ex parte causæ, Contritio enim oritur ex timore filiali, vel potiùs eum includit; Attritio autem ex timore seruili. 3. ex parte effectus; Nam Contritio gratiam semper conciliat, non item Attritio, sed tantùm in Sacramento. 4. Contritio nunquam est informis, sed semper coniuncta cum Charitate, etsi ab ea non eliciatur, Attritio non item, nam non semper cum illa coniungitur.

27 POtestne Attritio fieri Contritio?

*Resp.* Quamuis Attritioni succede-

re poſſit Contritio, nimirum ſi is, qui priattritus erat, actu Attritionis omiſſo, eliciat actum Contritionis, ſiue in Sacramento, ſiue extra Sacramentum: Attritio tamen non poteſt fieri Contritio, niſi hoc ſenſu, quòd Attritio in Sacramento habet eundem effectum, quem Contritio extra Sacramentum; quia ſcilicet Attritio cum Sacramento ſufficit ad gratiam conſequendam, quod facit Contritio extra Sacramenmentum, quo ſenſu vulgò dici ſolet, Sacramenta ex attrito facere contritum.

Contritio in lege Euangelica eſt-ne neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem. 28

*Reſp.* Non eſt ſimpliciter neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem conſequendam; poteſt enim quis abſolutè ſaluari ſine Contritione, vt ſi quis ilico poſt Baptiſmum decederet, antequam ad vſum rationis perueniret, vel poſt illum innocentiam ſeruaret. Neque neceſſaria eſt neceſſitate medij ad ſalutem, etiam ſuppoſito peccato, quia poteſt quis cum ſola Attritione cum Sacramento gratiam, & ſalutem conſequi.

29 EST-ne Contritio necessaria necessitate præcepti.

*Resp.* Est: probatur ex scripturis, Ezechiel. 18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam.* Mathæi 4. *Pœnitentiam agite.* Lucæ 13. *Nisi Pœnitentiam egeritis.* quibus adstipulatur ratio hæc: datur speciale aliquod præceptũ Charitatis, ad quam pertinet Contritio, speciale item est præceptum Deo satisfaciendi, quod fit per Contritionem, ergo Contritio præcipitur.

30 QVo tempore obligat præceptum Cõtritionis.

*Resp.* Obligat specialiter in articulo mortis, cùm non suppetit copia confessionis faciendæ, & insuper aliquoties in vita. 1. pars probatur; quia si quod sit tempus in quo obliget præceptum contritionis maximè est mortis articulus, cùm post mortem nulla supersit commoditas, ad gratiam Dei recuperandam, illiue satisfaciendũ. Immò verisimilius videtur, eum qui tunc confessus fuisset, vel aliquanto ante tempore contritus, teneri rursus ad eliciendam Contritionem de peccatis suis ex præcepto charitatis, quo quisque tenetur quam tutissimè

potest sibi prospicere in rebus ad salutem animæ pertinentibus. 2. pars ex eo ostenditur quòd verisimile non sit Deum rem tam necessariam permisisse differri ad extremam vitæ periodum. Quonam verò tẽpore hoc præceptum per se obliget, non ita facile statuitur: putarim ego non obligare sæpius, quam semel in anno; aliunde tamen ei satisfieri per Sacramentum Pœnitentiæ; cum enim hoc præceptum non obliget, nisi peccatorem, si quis alia via peccati iugum excutiat, liberabitur ab obligatione contritionis eliciendæ; alioqui Sacramentum Pœnitentiæ nobis potiùs oneri, quàm fauori esset, inuexisset enim nouum onus sine noua vtilitate, quandoquidem potuissemus per solam contritionem peccatorum remissionem consequi, quod fiebat in veteri lege. In his igitur duobus casibus tenetur peccator conteri, non autem statim post peccatum admissum, vt volunt nonnulli, etiamsi illi memoriæ occurrat; tenetur tamen semper non complacere sibi in illo. Neque obligat speciali modo præceptũ Cõtritionis diebus festis, aut quando suscipienda, vel administranda sunt Sacramenta.



# SECTIO V.

## DE CONFESSIONE

31 QVid intelligitur per Confessionem, cum numeratur inter partes Sacramenti pœnitentiæ.

*Resp.* Intelligitur declaratio peccatorum, quæ fit Sacerdoti, ad obtinendam eorum remissionem, per potestatem clauium.

32 EST-ne Confessio necessaria, necessitate medij, ad salutem

*Resp.* Confessio Sacramentalis necessaria est necessitate medij ad remissionem peccatorum mortalium post Baptismum commissorum obtinēdam. probatur, Illud est necessarium necessitate medij ad salutem, ac remissionem peccatorum obtinendam, sine quo in re, vel voto suscepto non potest ea remissio obtineri, Sed huiusmodi est Confessio respectu mortalium post

Baptismum admissorum, igitur illa necessaria est &c. Minor ostenditur ex sacris literis, Ioa. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* quibus verbis Sacerdotibus, tanquam iudicibus, datur à Christo potestas, tum ad remittenda, tum ad retinenda peccata, ita ut quibus ipsi ea remiserint, ea sint ipsis remissa; quibus verò non remiserint, ea illis non cōdonentur: Concedit enim iis verbis Christus plenam peccatorum omnium, saltem mortalium potestatem; quod non faceret, si aliqua sine eorum autoritate remitti possent, at cùm sententia ferri non possit causa incognita, Sacerdotes nequeunt de peccatis sententiam ferre, nec æquitatem in pœnitentiis iniungendis seruare, nisi ea ipsis aperiantur, subiicianturque eorum cognitioni, & potestati: quod quidem fieri tantùm potest per Confessionem; Igitur sine confessione re, vel voto suscepta, non potest peccatorum saltem mortalium remissio obtineri.

Estne Confessio necessaria etiam necessitate præcepti diuini. 33

*Resp.* Confessio peccatorum omnium mortalium, quæ post Baptismum commi-

missimus, quantùm morali adhibita dili gentia id facere possumus, necessaria est ad salutem non modò necessitate medij, sed etiam præcepti diuini. Est de fide ex Trid. sess. 14. c. 5. Ratio verò est, quia vbi instituta fuit confessio tanquam necessaria ad salutem ibi etiam fuit consequenter præcepta, videlicet Ioa. 20. quæ enim sunt media necessaria ad salutem, sunt etiam sub præcepto, si sint in nostra potestate: vnde qui per Contritionem obtinuit veniá peccatorum, tenetur nihilominus ad Confessionem, sub pœna peccati mortalis,

34 QVinam tenentur præcepto diuino Confessionis faciendæ,

*Resp.* Tenentur soli adulti fideles, qui sibi cõscij sunt alicuius peccati actualis, quod sciunt esse mortale, vel de quo probabiliter dubitãt, an sit tale. De adultis probatur, vt enim hi soli capaces sũt rationis, ita præcepti, & obligationis. De fidelibus autem, quia peccata infidelium non sunt materia propria huius Sacramenti; vt enim illi nondum subdũtur potestati Ecclesiasticæ, sic nec eorũ peccata sententiæ, ac iudicio illius. Quòd verò ii soli, qui habent conscientiam peccati mortalis

teneantur hoc præcepto, ex eo confirmatur, quòd obligatio præcepti confessionis oritur tantùm ex necessitate gratiæ, & amicitiæ Dei in hac vita recuperādæ, quæ gratia non tollitur per venialia; vnde illorum confessio non est iure diuino necessaria, ex Trid. sess. 14. c. 5. Potest tamen licitè, ac rectè vsurpari eorum confessio, sunt enim venialia quædam vincula, Christus autem dixit, *Quæcunque solueritis, &c.*

QVo tempore obligat præceptum diuinum Confessionis. 35

*Resp.* Conscius sibi peccati mortalis, tenetur per se ex vi præcepti diuini cōfessionis confiteri tam in articulo, quàm in periculo mortis, quia tunc est maxima necessitas huius Sacramenti; quare vel tunc obligat, vel nunquam. Tenetur præterea per se, extra periculum vitæ, aliquoties in vita confiteri, quia Deus instituit hoc Sacramentum, non tantùm vt in eius gratia decedamus, sed etiam vt in ea viuamus.

EStne præceptum aliquod Ecclesiasticum annuæ Confessionis.

*Resp.* Exstat præceptum aliquod Eccle-

siasticum annuæ Cōfessionis, obligans sub pœna peccati mortalis. Patet ex c. Omnis vtriusque, de pœnitentiis, & docet Trid. sess. 14. c. 5. & can. 8.

37 QVinam tenentur præcepto Ecclesiastico Confessionis annuæ, & ad quid tenentur vi illius præcepti.

*Resp.* Infantes, qui carent vsu rationis, & infideles hoc præcepto non obligantur vt patet ex supradictis. Ex fidelibus autem adultis ij soli obligātur, qui tenentur Consciētia alicuius peccati mortalis; quia præceptum Ecclesiasticum est tantùm determinatio quædam præcepti diuini: Præceptum autem diuinum non obligat nisi ad Confessionem mortalium, vel quæ putantur mortalia. Obligantur autem ad confessionem singulis annis peragendam, itaut ex vi illius præcepti nihil referat, quo quisque anni die confiteatur, modò ab vna confessione ad alteram non intercipiantur plures, quàm duodecim menses; Quod non ita præcisè accipiendum est, quin possit tēpus illud pauculis aliquot diebus differri. Quæ licet ita habeant, fieri tamen posset, ratione dignæ, ac decentis communionis, vt qui iam non multò ante confes-

ſus eſſet, ob conſcientiam peccati mortalis, teneretur iterum confiteri in paſchate, ne indignè communicaret.

QVid de eo dicendum, qui probabiliter iudicaret eo tempore, quo ex præcepto Eccleſiæ tenebitur confiteri, nõ futuram ſibi copiam confeſſarij. 38

*Reſp.* Teneretur eo caſu præuertere tẽpus illud, quia præceptum Confeſſionis nõ obligat ad confeſſionem peragendam certo aliquo die, ſed ſemel in anno; quare qui videt ſe non poſſe illud adimplere vno die, tenetur quo poteſt tempore illud implere, alioquin non ſatisfaciet tali præcepto. Alia eſt ratio de ſumenda Euchariſtia, quia eius obligatio ita addicta eſt tempori Paſchali, vt ei ſatisfiat tantum communicando tali tempore.

SAtisfaceretne præcepto Confeſſionis faciendæ, qui ſponte non confiteretur integrè, vel ſine dolore. 39

*Reſp.* Non ſatisfaceret, tum quia Eccleſia præcipit integram peccatorum Cõfeſſionem, tum quia ſine dolore non poteſt conſiſtere ſubſtantia actus Pœnitentiæ,

quam præcipit eadem Ecclesia.

39 QVi præcepto Confessionis annuæ non satisfecit, teneturne ex vi eiusdẽ præcepti quamprimùm cõmodè potest, confiteri.

*Resp.* Tenetur; præceptum enim Cõfessionis ita obligat ad confitendum singulis annis, vt simul vetet confessionem diutiùs differri; est enim præceptum non merè affirmatiuum, sed etiam negatiuum, vt patet ex fine institutionis illius, qui est occurrere negligentiæ eorum, qui vel nũquam, vel rarò confiterentur, si id liberũ illis relinqueretur.

40 POtestne Papa cum aliquo dispensare in præcepto Confessionis.

*Resp.* Etsi Papa nõ possit cum vllo dispensare in substantia præcepti cõfessionis, itaut nunquam teneatur confiteri, potest tamen cum aliquo dispensare, vt non confiteatur singulis annis. Prima pars probatur, quia præceptum confessionis, quoad substantiam, est iuris diuini lati à Christo. Secunda pars probatur, quia confessio annua est iuris Ecclesiastici, in quo Pontifex

potest dispensare. Vix tamen occurrere potest vlla legitima id faciendi causa.



## SECTIO VI.

### DE SACERDOTE SOLO *Confeßionis ministro, deq; duplici eius potestate, ordinis scilicet, & iurisdictionis.*

SOline Sacerdotes possunt excipere Confessiones. 41

*Resp.* Soli Sacerdotes legitimè in Ecclesia ordinati habent potestatem absoluendi sacramentaliter, ex Trid. sess. 14. can. 10. & scriptura ipsa; solis enim Apostolis, eorumque successoribus dictum est Ioa. 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* Quare licet cõfessiones, quæ fiunt Laicis fortè possint esse vtiles, vel humilitatis, vel consilij petendi causa, non possunt tamen esse Sacramentales; nec solùm grauiter peccaret Laicus, qui sic tentaret

absoluere, sed etiã fieret irregularis. Addo consultius fore non detegere peccata sua, præsertim occulta, laico.

43 EStne præter potestatem absoluẽdi, quæ Sacerdotibus confertur in ordinatione, necessaria iurisdictio ad validè absoluendum, & à quo ea tribuitur.

Nota per iurisdictionem hic intelligi autoritatem quandam in alterum, tanquam in subditum, ad cognoscẽda peccata ipsius, eaque vel remittenda, vel retinenda.

*Resp.* Præter potestatem ordinis, quæ datur Sacerdoti in ordinatione, necessaria est iure diuino ad validè absoluendum potestas alia iurisdictionis, tam in personas, quàm in peccata ipsarum, ex Trid. sess. 14. c. 7. Ratio est, quia absolutio ex institutione Christi est actus iudicialis, quem nemo potest exercere sine iurisdictione. Porro hæc iurisdictio, quam plenissimam habet solus Pontifex immediatè à Christo acceptam, bifariam confertur. 1. modo ordinario. v. c. cum aliquis in Episcopũ, aut parochum eligitur, hoc enim ipso datur illi iurisdictio in omnes subditos suæ Diœcesis, vel parœciæ. 2. ex delegatione, vt cũ Episcopus, vel Curatus suum gregem pascendum

cendum alteri committit: quo pacto etiã Summus pontifex, qui est vniuersalis omnium pastor, concedere potest, & re ipsa concedit iurisdictionẽ quibusdam religiosis. Ad extremum sacerdos, qui iurisdictionem habet, vsum eius liberum habere debet, si enim per censuras impediatur, vel inualidè, vel saltem illicitè pro varietate censurarum absoluet.

EStne necesse confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri de eius licentia, & quis est proprius Sacerdos. 44

*Resp.* Tenentur omnes proprio Sacerdoti, vel alteri de eius licentia confiteri, ex c. Omnis vtriusque sexus. Per propriũ autem Sacerdotem intelligitur omnis ille Sacerdos, qui vel implicitè, vel explicitè est superior ordinarius pœnitentis, quales sunt parochus, episcopus, pontifex. Per delegatum autem, qui à quouis istorum potestatem acceperit.

SI quis extra tempus, quo obligat præceptum annuæ confessionis, vellet ex deuotione liberè confiteri, an non liceret ei alteri confiteri, quàm proprio Sacerdoti vel delegato. 45

*Resp.* Non; quia absolutio semper est actus iudicialis, qui proinde à nemine potest validè conferri, qui non habeat iurisdictionem.

45 TEneturne parochus excipere Confessiones subditi, quoties libet subdito ei confiteri.

*Resp.* Tenetur, modò pœnitens non sit ei nimiùm molestus, nec ipse alioquin distineatur grauioribus negotijs; id enim ad officium pastoris spiritualis pertinet.

46 SI subditus à proprio Sacerdote petat facultatem alteri confitendi, teneturne eam ei concedere.

*Resp.* Tenetur, modò confessarius ille sit idoneus, nec grauem habeat causam Parochus eam denegandi: debet enim cõfessio esse libera, quoad fieri potest.

47 POtestne quiuis Sacerdos etiam hæreticus, & degradatus quemcunque in articulo, vel periculo mortis constitutũ absoluere tam à peccatis omnibus, quàm à cẽsuris.

*Resp.* Potest ex Trid. sess. 14. c. 7. & suadet maxima necessitas ei⁹ remedij, quod est institutum in remissionem peccatorum: Ea autem potestas non est à iure diuino, sed ab Ecclesia ex tacito consensu Pontificis Sacerdoti cuiuis concessa.



## SECTIO VII.

### *DE APPROBATIONE, bonitate, & scientia Confessarij.*

ESt-ne Approbatio necessaria, vt quis censeatur idoneus, cui dari possit iurisdictio, ad confessiones audiendas, & qualis ea esse debet. 49

*Resp.* Vt quis censeatur idoneus ad Cōfessiones audiendas, necesse est, vt vel habeat beneficium parochiale, vel ab Episcopis, eorumue vicariis fuerit approbatus. Ita Trid. sess. 23. c. 15. de reformatione. Quod intellige de Confessionibus sæcula-

rium.

50 CONfertur-ne per Approbationem ius aliquod ad audiendum Confessiones, vel iurisdictio aliqua.

*Resp.* Non; sed persona, quæ dicitur approbari iudicatur tantùm idonea, cui illa conferantur; sine qua approbatione inualidè hoc munus ei committeretur.

51 QVi est approbatus in vno Episcopatu absolutè, censeturne idoneus, vt in quouis alio possit eligi à parochis &c. ad Confessiones excipiendas, absque eo, quòd opus sit alia approbatione facta ab ordinario loci.

*Resp.* Affirmatiuè; Concilium enim non requirit, nisi vnam approbationem.

52 QValis bonitas, aut scientia requiritur in Confessario.

*Resp.* Vt confessarius validè absoluat, nulla requiritur in eo bonitas; requiritur tamen, si conscientiæ suæ consultum velit. De Scientia verò dicendum, vt licitè hoc Sacramentum ministret, debere eum tanta scientia pollere, vt in iis peccatis, quæ

communiter occurrunt, possit veniale à mortali discernere: Item quænam habeant excõmunicationem annexam: quæ sint superiori reseruata: quæ circunstantiæ necessariò sint confitendæ: quibus casibus pœnitens obligetur ad restitutionem: quæ causæ excusent à mortali, & vice versa quænam ad mortale sufficiant; vt sunt, præter opus externum, consensus internus, delectatio morosa, & periculum peccandi, cuj se se quis obiicit &c. quia sine horum omnium cognitione vix muneri suo facere potest satis. Non requisierim tamẽ æqualẽ in quouis Confessario scientiam, neque ita accuratam, vt de quolibet casu occurrente certum possit ferre iudicium: hoc enim peritiorum est. Sufficit itaque, si postquam excepit peccata pœnitentis, eorumque circunstantias, possit iudicium de iis ferre, quamuis non vsquequaque certum; si possit etiam, si quid incerti interueniat, prudenter dubitare, pœnitentem ad alium remittere, absolutionem differre, donec de tota re meliùs constiterit. Quin etiam nonnulli sunt casus, in quibus excusari potest imperitia Confessarij.



## SECTIO VIII.

## *DE CASIBVS RE-servatis.*

53 QVid intelligitur nomine Casuum reseruatorum.

Resp. Intelliguntur grauiora quædam peccata, à quibus non potest absoluere quiuis Sacerdos, sed reseruatur eorum absolutio Papæ, Episcopis, prælatis Ecclesiæ &c.

54 VNde est illa potestas Ecclesiæ reseruandi quædam grauiora peccata.

*Resp.* Ex eo id oritur, quòd omnis iurisdictio à Summo pontifice deriuetur in pastores & Sacerdotes inferiores, quæ vt ad personas plures, vel pauciores extendi, & contrahi potest, ita ad hæc, vel illa peccata.

Possunt-ne quæcumque peccata reseruari, & ex quacunque causa. 55

Resp. Etsi nullum sit peccatum seu veniale, seu mortale, quantumuis occultum, quod non possit vel secundùm quid, vel simpliciter reseruari; nullum tamen peccatũ veniale, aut mortale internũ re ipsa reseruatur; nulla enim exstat talis reseruatio vel in iure, vel ex cõsuetudine. Nec obstat, quod à Trid. detur Episcopis facultas absoluendi ab hæresi occulta, quæ facultas negatur vicariis eorum, nam per hæresim occultam non intelligitur mentalis occulta, sed externa hæresis, occulta tamen, seu quæ nondum prodiit in publicum. Ad hæc non debent peccata ex quacunque causa reseruari, sed vt ea reseruatio fiat sine peccato, debet adesse causa rationabilis.

QVotupliciter peccata reseruari possũt. 56

Resp. Dupliciter, nempe ratione culpæ, & ratione censurarum, quibus aliquando sublatis, peccata ampliùs non reseruantur.

POtest-ne inferior interdum absoluere à casibus superiori reseruatis. 57

*Resp.* Non poteſt per ſe quidem, & directè, prætorquam in articulo mortis, in quo nulli ſunt caſus reſeruati; vnde fit, vt qui ita abſolueretur ab inferiori, ne quidem teneretur poſtea adire ſuperiorem, ratione culpæ, ſed tantùm ratione cenſuræ: Per accidens tamen, & indirectè poteſt interdum inferior abſoluere à caſibus ſuo ſuperiori reſeruatis. v. c. ſi ei, qui habet caſus reſeruatos, ex inculpabili obliuione nullus eorum veniat in mentem, ſed ſola non reſeruata, quæ Sacerdoti inferiori cõfiteatur, is non modò abſoluetur à non reſeruatis, ſed etiam à reſeruatis, per accidens tamen & indirectè. Ratio eſt, quia cùm ex ſe, vt ſuppono, ſit ſufficienter diſpoſitus, & aliunde Sacerdos habeat cum poteſtate veram intentionem eum abſoluendi ab auditis, ſi abſoluat, ſequetur effectus gratiæ, gratia autem omnia omnino peccata delet; manebit tamen in eo obligatio adeundi ſuperiorem, ſi peccata illa poſtea ei veniant in mentem, vt ea eius iudicio ſubiiciat. Sunt & alij huiuſmodi caſus.

58 QVando pœnitens habens caſus reſeruatos non poteſt adire ſuperiorem, ideoque vrgente tempore confeſſionis an-

nuæ faciendæ, cogitur ad vitandum scandalum, vel infamiam confiteri inferiori, teneturne ei aperire reseruata, vt ab iis indirectè absoluatur.

*Resp.* Tenetur, ob integritatem cōfessionis, quæ integritas est iuris diuini: vnde diuidi non potest, nisi ex causa legitima.

QVando pœnitens absolutus indirectè ab inferiori à reseruatis, conuenit superiorem, tenetur ne ei aperire alia etiam non reseruata, à quibus directè fuit absolutus ab inferiori. 59


*Resp* Non tenetur; esset enim onus intolerandum.





# SECTIO IX.

## *DE QVALITATIBVS legitimæ Confeßionis.*



60 QVænam fnnt qualitates legitimæ Confessionis.

*Resp.* Eæ communiter 16. numerantur his versibus.

*Sit simplex, humilis confeßio, pura, fidelis,*
*Atque frequẽs, nuda, discreta, lubẽs, verecũda,*
*Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,*
*Fortis, & accusans, & sit parere parata.*

1. Igitur cõditio est vt sit *simplex*, id est sine fuco, & apparatu verborum, eaque tantùm complectatur, quæ simpliciter necessaria sunt peccatis, & statui pœnitentis declarãdis, omissis aliis, quæ ad rem non pertinent.

2. Vt sit *humilis*, nimirũ gestu, & affectu, quo testetur pœnitens summam animi demissionem, & agnitionem sui reatus.

3. vt sit *pura*, id est, vt fiat ex sincera intentione finis huius Sacramenti, qui est obtinere remissionem peccatorum, & sine

admixtione impertinentium.

4. vt sit *fidelis*, id est vera sine mendacio, referendo certa tanquam certa, & dubia tanquam dubia.

5. Vt sit *frequens*, id est crebra, vt scilicet, qui sæpe labitur, sæpe resipiscat: quæ conditio perutilis est, non tamen necessaria.

6. Vt sit *nuda*, vt contineatur verbis perspicuis, non autem obscuris, & æquiuocis.

7. Vt sit *discreta*, id est prudens, fiatque verbis honestis, præsertim in narrãdis quibusdam peccatis, caueaturque, ne ex declaratione nonnullarum circunstantiarum deueniat confessarius in cognitionem peccati aliarum personarum, præsertim si non sunt participes talis peccati.

8. Vt sit *lubens*, id est, vt sponte, & vltrò fiat.

9. Vt sit verecunda, id est, vt pœnitẽs de peccatis suis confundatur, & erubescat: Erubescentia tamen tanta esse non debet, vt præ illa omittatur aliquid confitendum.

10. Vt sit *integra*, in qua scilicet dicantur peccata omnia, saltem mortalia, tam secundùm numerum, quàm secundùm speciem, cum eorum circunstantiis necessariis.

11, Vt sit *secreta*, id est, vt Sacerdos illã

nunquam reuelet.

12. Vt sit *lachrymabilis*, id est cùm Contritione, vel saltem Attritione vera.

13. Vt sit *accelerata*, id est, ne peccator diu iaceat in sordibus peccati, sed per hoc Sacramentum, quantocius inde emergat, quod consilij est.

14. Vt sit *fortis*, vt pœnitens nihil ex necessariò dicendis omittat, præ timore, vel verecũdia, sed magno, & virili animo omnia euomat.

15. Vt sit *accusans*, id est, vt pœnitens confiteatur tanquam reus coram iudice, sibi peccatum attribuens, non alijs causis, carni, mundo, Dæmoni, sociis &c.

16. Vt sit *parere parata*, id est, non detrectet satisfacere pro peccatis suis, iuxta Confessarij præscriptum, eiusque monitis obtemperet. Atque hæ confessionis conditiones communiter assignantur; quarum quædam sunt necessariæ, aliæ verò tantùm requirũtur ad maiorem reuerentiam. Subiiciemus itaque nonnullas quæstiones, quæ specialem de hisce conditionibus difficultatem continent.



# SECTIO X.

## DE VERITATE, ET INtegritate Confeßionis.

OMne mendacium in Confessione admissum, est-ne peccatum mortale. 61

Resp. Qui inter confitendum sciens ac prudens peccatum aliquod mortale admissum negat, aut non admissum tanquam admissum proponit, peccat mortaliter, estque talis confessio irrita: secus est de veniali. Prima pars probatur, quia vel subtrahit confessioni materiam necessariam ad eius integritatem, vel supponit absolutioni materiam falsam, & adulterinã, imponitque Sacerdoti Christi loco cũ iuste interroganti, idque in materia graui, quorum vtrumque graue sacrilegium est. Secunda confirmatur: totum enim hoc genus mendacij est in materia leui, nec ideo confessio redditur irrita, aut mutila,

nec ideo grauiter fallitur Sacerdos. Qui tamen nulla alia peccata ſubiiceret abſolutioni præter veniale, quod non fecit, peccaret mortaliter, ſic enim redderet Sacramentum mutilum.

62 TEnetur-ne vnuſquiſque vi præcepti de integritate confeſſionis, omnia ſua peccata ſpecie diuerſa confiteri; item circunſtantias omnes ſpeciem mutantes, hoc eſt, quæ peculiarem habent cum recta ratione repugnantiam.

*Reſp.* Tenetur ex Trid. ſeſſ. 14. c. 5. & can. 7. & colligitur ex natura, & fine talis præcepti, aliàs enim non poſſet Sacerdos iudicium ferre de conſcientia pœnitentis, nec eas iniungere pœnitentias, eaue conſilia adhibere, quæ é re ipſius eſſent.

63 DEbetne etiam pœnitens eas aperire circunſtantias, quæ de veniali faciunt mortale.

*Reſp.* Debet; quamuis enim eæ non mutent ſpeciem peccati in genere malitię moralis, mutant tamen in genere peccati, ſeu auerſionis à Deo, vt patet in furto leui, & graui.

EStnè etiam numerus peccatorum necessariò declarandus. 64

Resp. Est quidem, si memoriæ occurrat: innuit Trid. supra, cum ait *peccata sigillatim explicanda esse, Vt Sacerdos certum iudiciũ de pœnitente ferre possit.* Quòd si pœnitens certum numerum non norit, adhibitâ debitâ diligentiâ, satisfaciet numerum verisimilẽ assignando, vt si dicat, decies plùs minùsue peccaui: quod si ne id quidem possit, significet tantùm tempus, & consuetudinem in peccatis, vt si dicat meretrix, exercui meretricium per annum integrum, meque exposui omni hominũ generi &c. vel si fur dicat, Latrocinium exercui per duos annos, & singulis septimanis, aut mensibus tot circiter furta plùs, minùsue commisi in his, illisue rebus.

SAtisfacitne huic præcepto, cui cũ vno vel pluribus diebus fuerit voluntas v. c. occidendi hominem, designat tantùm tẽpus, quo talis voluntas durauit. 65

Resp Non, sed debet declarare, quoties voluntatẽ illam vel ex obliuione naturali, vel per contrarium actum interruptam reuocauit; toties enim noua peccata

commisit.

66 QVando plures actus ordinantur tanquam media ad finem, ad aliquẽ actũ mandandum executioni, teneturne quis plures eos actus in confessione declarare.

Resp. Non tenetur. v. c. fornicatus est quispiam, non tenetur confiteri oscula, tactus impudicos, obscœna verba, aliaue eiusmodi, quæ turpem illum actum præcedere solent, aut subsequi, quia ad eundem finem per se spectant, qui est delectatio obscœna: Si tamen actus illi aliam haberent malitiam, quàm eam, quam à tali fine accipiunt, v. c. si quis dum furaretur, iurasset, blasphemasset, percussisset &c. deberent aperiri singulæ illæ actiones.

67 SI quis diceret, iuraui decies, plùs, vel minùs, & postea recordaretur, se pluries iurasse, tenereturne iterum confiteri, vt id exprimeret.

Resp. Si excessus ille leuis esset, v. c. si iurasset duodecies, non teneretur ampliùs confiteri, quia continetur in ea particula, plùs, vel minùs: Si autem notabilis esset vt si iurasset vicesies, teneretur repetere,

eum

eam excessum.

COnfiteturne integrè, qui prætermisso actu externo, confitetur solũ internũ. 68

Resp. Non, sed si opere consummatus sit, exprimi debet, vt consummatus; est enim opus externum pręcipuè, contra iustitiam, & proximi damnũ, inestque illi primò & per se ratio malitiæ, saltẽ obiectiuæ.



## SECTIO XI.

### *DE CIRCVMSTANTIIS in confeßione aperiendis, & Confeßione dimidiata.*



TEneturne quis ex vi præcepti de integritate confessionis, etiã peccatorũ circunstantias explicare. 69

Nota 1. Circũstantias aliud nihil esse, quàm *accidentia quædam actioni adiacentia, eiusque qualitatem in genere moris mutantia, aut si non mutent, augent tamen, vel mi-*

*nuunt.* Solent autem communiter septem numerari, quæ hoc versiculo continetur.

*Quis, quid, Vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* *Quis*, id est, quæ persona, Ecclesiastica, an secularis, soluta, an coniugata. *Quid* denotat quãtitatem, v. g. fueritne furtum magnum, an paruum. *Vbi*, id est, quo loco, sacro, an prophano. *Quibus auxiliis* significat instrumentum, quo cum aliquid fit, vt fustene percusseris aliquẽ, manu, vel sclopeto. *Cur*, id est, qua intentione, quo fine, vt si quis furatus sit, vt possit fornicari, vel se inebriare &c. *Quomodo*, id est, fraudene, an dolo, an ignorãter, ex necessitate, an sine necessitate. *Quando*, id est, quo tempore, diene festo, vel prophano.

Nota 2. Spectandas hîc esse à nobis præcipuè circunstantias illas, quæ ita afficiũt, ac circunstant substantiam actus moralis, vt neque mutent eius speciem, vel aliã illi superinducãt, sed tantùm illam augeant, vel minuant, aut alio modo intrinsecè eam afficiant intra eandem speciem: quæ enim priori modo se habent, habẽt potius rationem obiecti, & principij specificantis, quàm circunstantiæ. Vtque de illis aliquid statuamus, certum est omnes circunstantias peccati speciem mutantes, vel nouam d[illegible]formitatem specificam inducentes ne-

cessariò esse confitendas, v. c. qui commisit aliquid, quod ex obiecto erat tantùm veniale, cùm fecit tamen, putabat ex consciĕtia erronea esse mortale, tenetur illam circumstantiam confiteri, quia per illam trăsfertur malitia vnius speciei in aliam: Similiter, qui furto sustulit rem sacram, obligatur confiteri circunstantiam illam, quòd nimirum res illa sacra sit, quia per illam inducitur noua deformitas specifica; subreptio enim rei illius, vt aliena est, constituit præcisam rationem furti; vt autem est sacra, habet rationem Sacrilegij: vnde fit, vt in eodem actu Physico inueniatur multiplex ratio peccati, illa contrà iustitiam, hæc contra religionem; vtraque tamen confitenda, cùm quisque teneatur de omnibus, & singulis suis peccatis mortalibus confiteri. Quare quod dici solet, furtum rei sacræ non esse simplex furtum, non ita intelligendũ est, quasi in tali actione non insit malitia furti (id enim falsum esset) sed id ita dicitur, quia non tantùm inest illi malitia furti, sed etiam illi adiuncta est malitia irreligionis, quæ duæ malitiæ aduersantur duabus virtutibus, iustitiæ scilicet, & religioni, violanturque per illa duo diuersa præcepta decalogi, sep-

timum, & tertium. Pro quo.

Notandum est pro generali regula, eum non satisfacere huic obligationi, qui, cùm per vnum actum deliquerit contra multas virtutes, seu præcepta, quæ pertinent ad diuersas virtutes, vel etiam ad vnam virtutem obligantem ad diuersas honestates nō sibi inuicem subordinatas, fatetur tamen illum actum simpliciter, non exprimendo: varias illas ad bene operandum obligationes, v. c. iurauit quispiam se seruaturum castitatem, & præterea ad hoc ipsum voto se obstrinxit, non satisfaciet huic præcepto de integra confessione facienda, si tantùm dicat confessario se fornicatum; tenetur enim dicere se fornicatū contra votum, & contra iuramentum, quia in tali actu, præter ipsam malitiam fornicationis, duplex est deformitas distincta, vna contra iuramentum, altera contra votum, ac proinde duplex peccatum.

Quòd si desint conditiones supra requisitæ, fieri poterit, vt quamuis actus sit contra diuersas obligationes, non inueniatur tamen in eo multiplex ratio peccati, hinc quando obligat præceptum audiēdi sacrum, ratione duplicis festi occurrentis, vt si festum aliquod incidat in diem do-

minicam; aut ieiunandi ratione peruigilij festi alicuius incidentis quatuor anni temporibus, aut tempore quadragesimæ, vnica est malitia, vnicumque peccatum contra religionem, aut contra temperantiam, transgredi eiusmodi præcepta. His igitur circunstantiis omissis, spectamus hîc eas præsertim, quæ accidentaliter, & intra eãdem speciem afficiunt actum malum, vt sunt duratio, intensio actus, quantitas, tẽpus, &c. His enim propriè loquendo, conuenit ratio, & natura circunstantiæ; Quæ rursus sunt in triplici differentia: aliæ enim augent malitiam actus, aliæ minuunt, aliæ planè sunt impertinentes, id est, quæ neque malitiam actus augent, neque minuũt, vt quòd quis hominẽ interfecerit manu dextra, vel sinistra. His ita positis.

*Resp.* Primò Circunstantiæ impertinentes non necessariò sunt confitendæ, immò non sunt exprimendæ. Secundò Circumstantiæ, quæ non notabiliter minuunt, vel augent speciẽ peccati, non necessariò sunt declarandæ; si enim parum minuũt, videntur potiùs dici ad excusationem, si verò parum augent, non sunt adeo necessariæ, vt inde confessarius intelligat statum pœnitentis; secus si ita minuerent, vt ex mor-

tali facerent veniale; tunc enim eſſent declarandæ, quia falleretur alioqui confeſſarius. Tertiò. Circunſtantiæ illæ, quæ valde notabiliter malitiam peccati intra eandē ſpeciem augent, neceſſariò ſunt explicandæ: hinc ſi quis v. c. integram vrbem incenderit, aut mille aureos furatus ſit, non cenſebitur ſatis declarare peccatum ſuum, ſi dicat ſe perpetraſſe incendium, aut furatum eſſe mortaliter, niſi addat ſe incendiſſe integram vrbem, aut furatum mille aureos; alioqui ſæpe falleretur Confeſſarius circa criminum grauitatem, nec poſſet pœnitēti pœnitentiam iuſtam imponere, nec medicinam morbo debitam adhibere.

70 QVandonam Circunſtantia aliqua cēſetur ita grauiter augere peccatū, vt neceſſariò ſit confitenda.

*Reſp.* Quando peccator notabiliter exceſſit communem modum peccandi, vt ſi quis aliquot horis inhæſerit alicui delectationi turpi, ſiue mente tantùm, ſiue etiam opere, vel hoſtem ſuum iam occiſum pluries confoderit, &c.

71 ESt-ne Circunſtantia temporis ſacri, ſeu diei feſti neceſſariò aperienda in

Confeſſione.

*Reſp.* Non; feſtum enim pertinet ad religionem, & conſiſtit in ceſſatione ob opere ſeruili ab Eccleſia prohibito; non verò à ceſſatione à peccato. Alia eſt ratio de loco ſacro; interdum enim aggrauatur peccatum per circunſtantiam nouæ ſpeciei petitæ ab illo, vt cùm furtum rei etiam prophanæ eius tutelæ commiſſæ in eo committitur, vel cùm in eo ſit voluntaria, iniuſtaque ſanguinis effuſio, &c. quæ directè pugnant cum ſanctitate loci, & expreſſè prohibentur per Eccleſiam.

Teneturne pœnitens Confeſſioni præmittere examen conſcientiæ. 72

*Reſp.* Iure diuino tenetur quiſque, pro ratione ſui ſtatus ac conditionis, confeſſioni præmittere examen Conſcientiæ; niſi Confeſſarius velit vltrò ſubire laborem eũ interrogandi, ac iuuandi. Ratio eſt, quia tenetur quiſque peccata ſua omnia mortalia, eorumque circunſtantias confiteri, non poteſt autem niſi priùs ea ſibi reuocet in memoriam, ergo pœnitens tenetur ſe ſe diſcutere, in eamque rem tantam diligentiam adhibere, quantam vir prudens

adhiberet in negotio graui; neque enim debet esse summa, nec exactissima: Quòd si huius diligentiæ defectu omittatur peccatum aliquod mortale, vel circumstantia mutans speciem, censetur scienter omissum, & inducere nouum peccatum, atque adeo confessionem totam inualidare. Nunquam enim validè hoc Sacramentum suscipitur, cùm ex negligentia mortaliter culpabili peccatum aliquod mortale omittitur.

73 SI quis existimaret factâ prolixissimâ, & scrupulosa sui discussione, peccata alia ventura illi in memoriam, teneretur ne ad illam.

*Resp.* Non teneretur, quia non est opus tanta diligentia.

74 TEneturne quis peccata sua scribere, ne memoriæ excidant.

*Resp.* Non tenetur; quia etsi debeat vti diligentia in peccatis percensendis, sufficit tamen mediocris, nec tenetur vti remediis, extraordinarijs.

75 PErtinetne ad integritatem Confessionis vt fiat vni, & eidem sacerdoti, & non

partim vni, partim alteri.

*Resp.* Quãtùm fieri poteſt peccata omnia aperienda ſunt eidem Sacerdoti; pertinet enim ad ſanctitatem, & reuerentiam huius iudicij, vt non ſine cauſa diuidatur.

QVi peccatum, aut circunſtantiam in priori cõfeſſione, adhibita debitâ diligẽtia ignoranter omiſit, aut ſecluſa mala fide non bene expreſſit, teneturne ſtatim illud confiteri. 76

*Resp.* Non tenetur (niſi occurrat neceſſitas) ſed expectare poteſt in annum ſequentẽ. Ratio eſt, quia peccata oblita ſub generali accuſatione cenſentur comprehenſa, quare non neceſſe eſt illa ſtatim confiteri.

LIcetne in aliquibus caſibus ſcienter dimidiare confeſsionem. 77

*Resp.* Licet: Caſus autem illi varij ſunt.

1. Eſt, quando ſuperior legitimis impedimentis diſtentus vult tantùm audire cõfeſſionem ſibi reſeruatorum.

2. Eſt, quando peccatum aperiri non poteſt ſine graui damno conſortis peccati, qui ſimul debet declarari.

3. Quando pœnitens non potest declarare aliquod suum peccatū sine graui damno, vel suo, vel confessarij.

4. Quando confessarius non potest declarare peccatum aliquod à se commissum, occasione confessionis auditæ, nisi simul aperiendo peccatum alterius, eūque simul manifestando; sigillum enim confessionis magis obligat, quam eius integritas.

5. Quando periculum est, ne ægrotus agens in extremis subito moriatur, antequā detur absolutio, tunc enim auditis nonnullis peccatis, potest illi impendi beneficium absolutionis, & si per vires liceat, reliqua possunt audiri, & ipse postea ab iis absolui. Idem sentiendum cùm multis imminet subitò periculum vitæ, vt fit in naufragio, hostium irruptione, in instante periculosa pugna, &c.

6. Quando quis est mutus, vel peregrina lingua vtitur; sufficit enim tunc fateri peccatū aliquod, vt ab omnibus possit absolui.

Postremus est ex parte Sacerdotis, cùm scilicet illi ex morbo, vel aliunde imminet mors, & maximè, si pœnitens sit in periculo mortis nec speretur futurum alium Sacerdotem, à quo possit absolui;

tūc enī aliquot peccatis auditis deberet eū abſoluere. Similiter vt ſacerdos ſeruet ſe indemnem, vt ſi v. c. confeſſiones eorū, qui peſte laborant audiret, ad præcauendū mortis periculum, auditis aliquot peccatis, poſſet ab illis, & à reliquis ſimul abſoluere.

DEbet-ne abſolui moribundus, qui vocis vſum amiſit, antequam Sacerdos 78 euocatus potuerit illi adeſſe, ſi nullum peccatum in particulari poſſit confiteri, ſed ſolum ſigna generalia doloris oſtendat, vel teſtentur tantùm præſentes ipſum dediſſe ſigna pœnitentiæ, & petiiſſe confeſſionem.

*Reſp.* Debet; probatur à ſimili, ſi quis enim dicat Confeſſario ſe certò ſcire peccatum aliquod mortale a ſe admiſſum eſſe, nec tamen poſſit eius recordari, omnium ſententia eſt abſoluendus, & tamen in genere tantùm confiteretur. Item poteſt quis confiteri per interpretem, cui fides habetur, ergo cum quis non poteſt per ſe confiteri, poteſt per aſtantes Sacerdoti iam præſenti confiteri, qui inſtar interpretum eius pœnitentiam, & confeſſionem eidem exponant.



## SECTIO XII.

### DE VARIIS MODIS confitendi.

79 DEbet ne Confessio secretò fieri.

Resp. Non est de essentia confessionis, vt secretò, vel publicè fiat, ex Trid. sess. 14. c. 5. probabilius autem est, esse iuris diuini naturalis, vt non fiat ordinariè alio modo, quàm secretò, hic est enim conuenientissimus modus, quo fieri potest, cùm nemini liceat, sine vrgenti causa, peccata sua secreta propalare, aut seipsum infamare.

80 DEbet-ne interdum pœnitens publicè confiteri.

Resp. Et si confessio peccatorum secretorum possit interdum rectè fieri publicè, ad eam tamen nullus vnquam publicè obli-

gatur, patet ex Trid. sess. 14. c. 5. vbi cùm dixisset, Et si Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit; *non est tamen* (inquit) *hoc diuino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.*

DEbet ne interdum Confessio fieri per interpretem, 81

*Resp.* Quamuis confiteri per interpretem laudabile sit, ac consulendum, quando id alio modo fieri nequit, nullum tamen exstat ea de re præceptum, ne quidem pro articulo mortis. 1. pars probatur, quia qui cum Sacerdote agit per interpretem, censetur moraliter loquendo per se cũ eo agere. 2. pars confirmatur, quia id neque ex institutione Christi, neque ex traditione, aut aliunde habetur.

POtest-ne pœnitens confiteri ex scripto, aut ad id aliquando obligatur. 82

*Resp.* Quando pœnitens apud præ-

ſentem Sacerdotem poteſt ſe accuſare voce, ad id tenetur ex præcepto Eccleſiæ, ſiue ſimul recitet peccata ſua ex ſcripto, ſiue ex ſola memoria; Ita docet praxis, & conſuetudo Eccleſiæ; Non eſt tamen de eſſentia confeſſionis, vt voce fiat, ſed poteſt fieri ſcripto, ſi cauſa ſubſit, vt ſi æger commodè poſſit ſcribere, non ita verò loqui, ſiue enim quis ſcripto, ſiue voce confiteatur, abſolutè confitetur. Confiteri autem ſcripto, cum non poteſt verbo, non tenetur, hoc enim nimium eſſet oneroſum.

83 POteſt-ne pœnitens confiteri per literas, aut internuntium.

*Reſp.* Poteſt id ex graui cauſa rectè, & validè fieri: patet ex eo, quod ſupra dictũ eſt de moribundo, quem aliorum relatione Sacerdos accepit petiiſſe Sacramentum pœnitentiæ; vtriuſque enim euentus eadem videtur eſſe ratio: de abſolutione putarim aliter ſentiendum.

84 POteſt-ne aut debet pœnitens confiteri per nutus.

*Reſp.* Quando poteſt voce, non debet nutu cõfiteri: patet à ſimili de ſcripto: ſi ta-

men non posset alia ratione cõfiteri; quàm per nutus, & signa, teneretur eo modo cõfiteri; is enim modus sufficere potest ad peccatorum declarationem, neque est expositus periculo euulgationis, sicut scriptio.



## SECTIO XIIII.

### DE DOLORE NECESsario ad iustificationem in Cõfessione Sacramentali, aliisque ad confessionem spectantibus.

QValis debet esse dolor, qui necessarius est ad iustificationem, 85
in confessione Sacramentali.

*Resp.* Dolor ille non necessariò est contritio, saltem tamen requiritur, vt sit vera attritio ex motiuo supernaturali. 1. pars probatur ex Trid. sess. 14. c. 4. ait enim *per contritionem imperfectam* ( quo nomine intelligit attritionem ) *hominem in hoc Sacramẽto disponi ad gratiam impetrandam.* 2. pars probatur, quia vt dispositio censea-

tur apta ad aliquam formam, debet esse eiusdem ordinis cum illa; quare cum gratia sit ordinis supernaturalis, requirit dispositionem supernaturalem. Ex quo sequitur dolorem ex motiuo merè naturali non sufficere, cuiusmodi est metus damni temporalis, amissionis bonorum, infamiæ &c. multóque minùs sufficere solam voluntatem suscipiendi hoc Sacramentum sine interna pœnitentia; cum nemo censeatur sufficienter dispositus ad gratiam, & remissionem peccatorum, quandiu à peccatis suis non auertitur, per dolorem, ac detestationem.

86 DAturne Confessio informis, hoc est ex qua non sequatur effectus gratiæ, & remissionis peccatorum, quamuis ei ad integritatem veræ, & validæ confessionis nihil desit.

*Resp.* Datur; si enim pœnitens bona fide doleat de peccatis dolore merè naturali, & ex motiuo naturali, vt propter Deum autorem naturæ, vel propter turpitudinem quæ inest peccato, quatenus aduersatur rectæ rationi, is auertetur sufficienter à peccatis, quod satis est, vt talis dolor sit pars Sacramenti; non tamen sufficienter disponetur

netur ad gratiam, quæ cùm sit forma ordinis supernaturalis, supernaturalem requirit dispositionem : Excusabitur tamen à peccato ob bonam fidem, & ignorantiam inuincibilem; sed & satisfaciet præcepto seu diuino, seu Ecclesiastico, nec obligabitur talem confessionem repetere: reuiuiscet denique tale Sacramentum ad gratiam per attritionem supernaturalem subsequentem, modò post illud pœnitens non peccarit mortaliter, vt priùs dictum est de Baptismo.

EStne Confessio aliquando iteranda? 87

R*esp*. Nulla confessio valida, & integra est necessariò iteranda; modò fuerit absolutio data à Sacerdote habente legitimam iurisdictionem, & ea vti volente; nulla enim apparet huius rei obligatio. Omnis verò confessio inualida, & nulla necessariò est repetenda; illa enim non fuit vera Confessio Sacramentalis, nec per eam satisfactum est præcepto de confessione facienda.

QVibus ex causis Cōfessio redditur nul 88
la, & irrita,

*Resp.* Eæ ad duo capita generalia reduci possunt. Primum est, ex parte pœnitentis, vt si careat dolore sufficienti ad integritatem Sacramenti: si sponte, vel ex negligentia inuincibili, ac mortali peccatum aliquod mortale omiserit; si peccet mortaliter inter confitendum, si non habeat vsum rationis sufficientem. Secundum caput est ex parte confessarij; si nimirum careat potestate ordinis, vel iurisdictionis; si sit nominatim excommunicatus, vel suspensus; si non habuit intentionem absoluendi, vel ita distractus sit, vt plæraque non audiat; vel si sit ebrius, aut amens; si non protulit omnia necessaria ad essentiam formæ; si careat scientia necessaria ad ferendum iudicium de statu pœnitentis, nec id ignoret pœnitens.

89 ESt ne Confessio illa censenda irrita, & nulla, quam fecit pœnitens excommunicatus ignorans excommunicationem suam, vel nesciens saltem absolutionem suã ab excommunicatione præmittendam esse absolutioni à peccatis.

*Resp.* Non, quia quamuis excommunicatio prohibeat Sacramentum suscipi, non

obſtat tamen ſuſceptioni veri Sacramenti. Quare ſi aliunde quis excuſetur ob ignorantiam inuincibilem, excommunicatio non obſtabit, quominus valide abſoluatur.

VTile-ne eſt repetere confeſſiones validas. 90

*Reſp.* Eſt, quia valet id ad gratiæ augmentum, ad Contritionem, & erubeſcentiam maiorem excitandam, quibus abundantiùs ſatisfit pro peccatis, ad ſupplendos defectus, qui fortè irrepſerunt in confeſſionibus particularibus, vel ignorantia, vel negligentia circa integritatem, dolorem, abſolutionem. &c.





# SECTIO XIV.

## DE SIGILLO CONFES-sionis.

91 SAcerdos audita confessione tenetur-ne ad Sigillum.

Nota Sigilli nomine intelligi obligationem, qua quis tenetur peccata in confessione audita secreta seruare, Metaphora sumpta à sigillo materiali, quo literas, aliudue quidpiam, quod secretum esse volumus, obsignamus.

*Resp.* Iure naturali tenetur Sacerdos non reuelare audita in Confessione, quia tenetur non diffamare proximum, eique seruare fidem: iure etiam Ecclesiastico ad idem obligatur, vt patet ex c. Omnis vtriusque. de pœnit. & remiss. vbi imponitur pœna degradationis, & inclusionis perpetuæ in arcto monasterio Sacerdoti contra facienti. Hæ tamen obligationes, ex se non sunt ita strictæ, quin sæpe cessent: possum enim ob bonum publicum alterius

crimen mihi commiſſum reuelare, etſi non ſine ipſius infamia : Arctiſſima verò alia ſigilli obligatio iure poſitiuo diuino inducta eſt ( quod ex praxi, & traditione Eccleſiæ colligitur ) qua in nullo caſu ad vitandũ quodcunque malum, ſiue pro quocunque bono, etiam totius reip. licet peccata directè, vel indirectè reuelare, niſi quando id cedit in magnum bonum, & pœnitens id expreſſè concedit.

QVodnam peccatum committit Confeſſarius violando ſigillum. 92

*Reſp*. Peccat peccato Sacrilegij, contra virtutem religionis, quia per infractionem ſigilli prophanatur eius ſanctitas, & veluti redigitur in ordinem aliorum ſecretorum naturalium. Poteſt quoque hoc peccatum reuocari ad iniuſtitiam, & ad peccatum contra charitatem, cùm per illud detrahatur famæ alterius, & deterreatur proximus ab vſu confeſſionis.

QVæcumque violatio ſigilli eſt-ne peccatum mortale. 93

*Reſp*. Eſt; quia licet fortè peccatũ, quod reuelatur, in ſpecie ſit tantùm veniale in ſe,

vsus tamen confessionis, quæ per huiusmodi reuelationem exosa redditur, materia grauissima est; quare sicut in periurio non datur materiæ leuitas, sic neque in infractione sigilli.

94 QVinam alij præter Sacerdotem tenẽtur obligatione sigilli.

*Resp.* Etsi solus Sacerdos, qui Confessionem excepit, teneatur strictissima illa obligatione sigilli seruare secretum confessionis, quia solus ille Christi minister est in hoc Sacramento; plærique tamen alij tenẽtur eadem obligatione in specie, ij nimirum, qui confessionem siue licitè, siue illicitè intellexerunt, vt interpretes, astantes, si pœnitentem vocem contendentem fortè exaudierint, iique insuper, quibus cõfessarius aliquid de confessione ex malitia reuelasset, facerent enim contra reuerentiam debitam huic Sacramento, peccarẽtque peccato sacrilegij, non secus ac Sacerdos, quamuis peccatum eorum non esset adeo graue.

95 OBligatne etiam sigillum illud sacrum, ac sanctum secreti confessionis, cùm confessio non fit integrè, aut non sequitur absolutio.

*Resp.* Obligat quotiescumque peccata

declarantur in ordine ad absolutionem, siue sequatur absolutio, siue non idque vel ex culpa Sacerdotis, vel pœnitentis: vnde si quis confiteretur alicui laico, putans eum esse Sacerdotem, teneretur ille ad seruandũ sigillum obligatione religiosa: etsi enim confessio re ipsa non esset Sacramentalis, fieret tamen ex parte pœnitentis ex intentione recipiendi sacramentum, quod sufficit ad eam obligationem; est enim regula, obligationem seruandi secretum semper esse sacram, ac religiosam, quando confessio est Sacramentalis, seu ex intentione accusandi se coram Deo, aut satisfaciẽdi præcepto Cõfessionis; secus si hæc non adsint: vnde si quis extra confessionem quidpiã secretum alteri reuelaret, profitereturque se hoc ei dicere sub sigillo confessionis, non imponeret ei obligationem sacrã, quia talis confessio non est Sacramentalis: Obligatio autẽ sigilli confessionis nõ nascitur ex conuentione, vel voluntate reuelãtis, vel eius, cui fit reuelatio, sed ex natura Sacramenti, ac reuerẽtiæ illi debitæ in gratiã pœnitẽtis. Idem dicendũ, cùm quis alteri detegit peccata sua, non vt se accuset, sed consilij tantùm petẽdi causa, aut cùm quis simulatè, & quasi confessurus Sacerdotem adit, animo tantùm eum pertrahendi in cõsortium pec-

cati alicuius; tales enim confeſſiones Sacramentales non ſunt.

96 TEnetur ne pœnitens ſigillo cõfeſsionis ad ea tacenda, quæ ei à Sacerdote dicta ſunt in confeſsione.

*Reſp.* Non; quia ſecretum confeſsionis obligat tãtùm ratione peccatorum in confeſsione auditorum, Sacerdos autem non confitetur pœnitenti, ſed contrà pœnitens Sacerdoti, ad id igitur obligatur tantùm iure naturali, quo quiſque tenetur conſulere famæ alterius.

97 SI quis inueniret cartam alicuius, in qua peccata confitenda deſcripta eſſent, & caſu, vel de induſtria aliquid in ea legeret, teneretur ne obligatione ſacra ſigilli cõfeſſionis.

*Reſp.* Non, ſed teneretur ſolùm obligatione naturali, ad ſeruandum ſecretum; quia deſcriptio illa nõ pertinet ad cõfeſſionem, tanquam pars illius, ſed tanquam via, ac præparatio ad illam.

89 QVando imminente tempeſtate, vel quouis alio mortis periculo plures ſimul voce elata confitentur ſi detegant, qui ea audierunt, peccant ne peccato ſacrilegij contra ſigillum.

*Resp.* Peccant illi quidem peccato iniustitiæ, & detractionis, non tamen contra sigillum: obligatio enim sigilli confessionis nascitur tantùm ex secreto, talis autẽ confessio secreta non est.

SOlane peccata cadunt sub sigillum. 99

*Resp.* Omnia, & sola peccata cadunt sub obligatione Sigilli, itaut neque verbo, neque signo vllo liceat ea reuelare, citra sacrilegium, quando ex huiusmodi reuelatione non tantùm peccatum, sed etiã peccator ipse designatur. Sigillum enim confessionis obligat tantùm respectu eorum, quæ sunt materia propria confessionis, cuiusmodi sunt sola peccata. Vnde infero propositum peccandi pœnitentis reuelari non posse sine infractione sigilli confessionis, quia tale propositum iam est peccatum. Infero 2. eum non peccare contra obligationem sigilli confessionis, qui detegeret defectum aliquem naturalem pœnitentis ex confessione cognitum, etsi aliunde peccaret contra obligationem iuris naturalis, quia tales defectus nec peccata sunt, nec eorum circunstantiæ, per se loquendo.

100 PEccatne cõtra ſigillũ Confeſsionis, qui cũ pœnitẽte extra cõfeſsionẽ colloquitur de peccatis in cõfeſsione exceptis.

*Reſp.* Is non peccat contra Sigillũ cõfeſsionis, nam de natura ſecreti in genere tantùm eſt, vt non aperiatur aliis; peccaret tamen aliunde, quia redderet confeſsionem aliquomodo odioſam, improperando illi quodammodo peccata ſua, quod diligentiſsimè cauendum eſt. Sed id intellige, ſi id fiat abſque expreſſa licentia illius, vel certè tacita.

101 SEmperne facit contra ſigillum confeſsionis, qui negat pœnitentem à ſe abſolutum ex cauſa legitima.

*Reſp.* Non ſemper, ſed quãdo alij poſſunt ex eo deuenire in ſuſpitionem alicuius peccati grauis, aut reſeruati, aut excõmunicationis, vel indiſpoſitionis occultę. Quare nõ peccaret contra ſigillũ, qui diceret, non abſolui talem pœnitentẽ, quia nõdum abſoluit confeſsionẽ; ſi præſertim alij norint eum propter negotia, aliáue impedimenta protrahere confeſsionem in plures dies.

102 PEccaretne contra Sigillum confeſſionis, qui ob notitiã incapacitatis pœni-

tentis, quam accepit ex ſola confeſsione, eum ab officio remoueret.

*Reſp.* Peccaret, etiam ſi ex eadem confeſsione noſſet illũ in tali officio perpetuò verſari in proxima occaſione peccandi, ſi ex tali priuatione officij poſſent probabiliter alij conijcere, illum priuari tali officio ob peccatum aliquod in confeſsione cognitum, quia in tali caſu ſaltem in genere detegeretur confeſsio, quod non licet.

CAduntne etiam ſub ſigillum confeſ- 103
ſionis peccata conſortis, quando pœnitens ea manifeſtauit in confeſsione, tanquam circunſtantiam ſui peccati.

*Reſp.* Cadunt; quia peccatum conſortis hoc modo declaratum fit materia confeſsionis, quæ præterea valde oneroſa redderetur, ſi Sacerdos non teneretur ea ſub ſigillo ſeruare.

LIcetne reuelare confeſsionem ex licé- 104
tia pœnitentis.

*Reſp.* Licet, ſiue pœnitens eam facultatem faciat extra confeſsionem, ſiue in cõfeſsione; Sigillum enim confeſsionis inſtitutum eſt tantùm in bonũ pœnitentis,

vt nempe seruetur illi secretum suum; in hoc verò casu cedit ille iuri suo, nec confessionem odiosam reddit. Addendum tamen talem facultatem primò debere esse expressam, & non sufficere interpretatiuã, seu ratihabitionem: secundò debere esse de peccato proprio ipsius pœnitentis, non verò tertiæ personæ, nisi pœnitens faciat simul facultatem reuelandi suum, cuius illud fuit circumstantia : tertiò debere esse omnino liberam, & non coactam: quartò debere esse rationabilem.

105 NVllone alio euentu, quàm ex facultate pœnitentis licet reuelare confessionem.

Resp. Nullo prorsus, etiamsi ex eo silẽtio secuturus esset interitus totius Reip. omnia enim incõmoda, quæ nasci possunt ex obligatione seruandi sigillum, leuis momenti sunt, si cõferantur cum eo, quod sequeretur ex violatione sigilli, quod est interitus confessionis.

106 QVomodo Confessarius respondere debet iudici, aut Tyranno, à quo iniquè compellitur, etiam sub iuramento, vt dicat, num sciat, vel audierit aliquid de

peccato pœnitentis, quod ipse nouit tantùm ex confessione.

*Resp.* Si simpliciter, & absolutè interrogetur ab illo, num sciat, vel audierit aliquid de tali peccato, potest respondere se nihil scire, etiamsi priùs de dicenda veritate se iureiurãdo obstrinxerit; quia cùm non habeat ius petendi, an de eo crimine aliquid sciat ex confessione, quando simpliciter rogat num de eo aliquid norit, censetur confessarius ad mentem eius respondere, qui meritò existimari potest interrogare de notitia accepta extra cõfessionem: Si verò interrogetur, num peccatum illud ex confessione norit, tenetur respondere se nihil scire, subintelligendo, vt dicat alijs, sic enim non mentietur, & aliunde non tenetur respondere ad mentem iniquè interrogantis.

QVando confessarius nouit peccatum pœnitentis non tantùm ex confessione, sed etiam alia via, teneturne ad sigillũ. 107

*Resp.* Non tenetur, sed potest illud reuelare secluso scandalo; quia confessarius qui peccatum alterius nouit extra confessionem, eo ipso habet ius de eo loquendi,

& peccatorem ipſum accuſandi. ſi opus ſit, per confeſsionem autem non amittit tale ius, neque peccatum illud detegendo fit vlla iniuria confeſsioni, nec inde magis odioſa redditur: nullo tamẽ modo dicere poteſt, ſe audiuiſſe illud in confeſsione.

108 LIcetne Sacerdoti extra confeſsionem vti ſcientia in ea comparata.

*Reſp.* Varii euentus recenſeri ſolent, in quibus id licere plæriſque probabile videtur. Oppoſita tamen aliorum ſententia tutior videtur, in praxi ſequenda, minùſque expoſita periculo confeſsionis violandæ.



## SECTIO XV.

## DE SATISFACTIONE.

109 QVid intelligitur per Satisfactionem quæ numeratur inter actus pœnitentis.

*Reſp.* Intelligitur *voluntaria pœnæ ſuſceptio ab homine iuſto facta in compenſationem aliquam pœnæ temporalis promeritæ, ob*

*iniuriam Deo per peccatum illatam.*

REmanetne in peccatore, peccato quoad culpam remisso, reatus aliquis pœnæ temporalis. 110

*Resp.* Cum peccator ad Deum conuertitur, licet in eo tollatur totus reatus pœnæ damni, quæ peccato eius debebatur, redeatque in gratiam, & amicitiam cum Deo, non tamen semper prorsus tollitur in eo reatus pœnæ æternæ sensus, sed (quamuis interdum accidat, vt tantus sit dolor pœnitentis, qui sufficiat non modò ad culpæ, sed etiam ad totius pœnæ remissionẽ) plærumque commutatur in reatum pœnæ tẽporalis luendæ. Est Trid. sess. 6. can. 30. & sess. 14. c. 8. & cã. 12. & probatur ex scriptura. 2. Reg. c. 12, vbi Dauidi iã iustificato statuitur pœna mortis filij, aliisque similibus. At peccatorum omnium eadem est ratio, & nihil est causæ cur Deus ita se gesserit erga aliquos potiùs, quam erga alios, alioquin videretur Deus quodãmodo personarum acceptor: dicendũ igitur est post peccatũ remissũ superesse adhuc in peccatore pœnam aliquam tẽporalem luendam.

QVænam est pœna illa, quæ post culpam remissam luenda superest. 111

*Resp.* Non videtur illa alia esse specie ab ea, quæ ante peccatum remissũ luenda erat in inferno, sed accidentaliter solùm differre, quòd cùm antea futura esset æterna, postea fiat temporalis, possitque in hac vita redimi per bona opera, ac satisfactiones sponte susceptas.

112 POssumusne satisfacere pro pœna temporali, quæ superest, peccato iam remisso.

*Resp.* Quamuis homo iustus satisfacere non possit pro pœnis omnibus temporalibus peccati (vt patet de morte, quę est pœna peccati, nullus tamen potuit bonis operibus eam auertere) potest tamen pro permultis satisfacere, idque de condigno; quia cùm bona nostra opera possint habere sufficientem proportionem, vt mereantur de condigno vitam æternam, multò magis id dicendum est de iisdem respectu remissionis pœnæ temporalis.

113 EStne satisfactio non tantùm possibilis, sed etiam necessaria, ac præcepta.

*Resp.* Necessarium quidem est satisfacere pro pœnis tẽporalibus vel in hac vita, vel in

vel in purgatorio, nisi aliunde remittantur per martyrium, baptismum, indulgentias &c. patet ex supra dictis; si enim remissa culpâ supersit adhuc pœna aliqua luenda, necessariò pro ipsa satisfaciendum est, nisi aliunde remittatur. Nullum verò exstat præceptum, quod nos sub mortali obliget ad satisfaciendum in hac vita pro pœna illa temporali.

POtest-ne pro pœnis satisfacere, qui est in peccato mortali. 114

Resp. Qui est in peccato mortali, quandiu in eo statu manet, non potest satisfacere pro vlla pœna temporali peccatis iam condonatis debita; quia satisfactio nostra non habet vim obligandi Deum ad remittendum nobis pœnam, nisi ex pacto, & acceptatione Dei, Deus autem non acceptat opera peccatorum, Eccl. 15. *Dona impiorum non probat altissimus*, Licet igitur, qui in peccato mortali peragit pœnitētiam sibi à suo Confessario iniunctam, satisfaciat quo ad confessionem, adeout eam, aut pœnitentiam denuo repetere non teneatur, Deo tamen non satisfacit, nisi gratia accedente.

115 OPera satisfactoria extra Charitatem facta, reuiuiscunt ne accedéte gratia.

Resp. Cætera opera in peccato mortali facta non reuiuiscunt, nec sortiuntur suum effectum, quia defuit illis principium vitæ spiritalis, nempe Charitas, & gratia; pœnitentia tamen Sacramentalis, etiam in peccato mortali peracta reuiuiscit ad satisfaciendum ex opere operato, pro pœna aliqua debita peccatis confessis. Ratio est, quia est pars Sacramenti pœnitentiæ, quod interdum reuiuiscere supra docuimus.

116 POtest ne vnus pro alio satisfacere pro pœnis peccato remisso restantibus.

Resp. Iustus pro alio iusto satisfacere potest, si velit suum opus in eum finem referre. Est de fide, ad Galat. 2. *Alter alterius onera portate*, quod de pœna intlligendum est; De culpa enim additur, *Vnusquisque onus suum portabit*. Adde cõmunionem sanctorum in eo positam esse, vt vnius satis factio alteri possit applicari, quia scilicet cùm simus membra vnius corporis, sub vno capite, quod est Christus, vnius actio cẽsetur quodãmodo alterius, si fructus illius sit capax; ad quod requiritur vt sit in gratia.

QVænam requiruntur ad hoc, vt opus aliquod ſit Satisfactorium. 117

*Reſp.* Duo requiruntur, Primum, vt ſit Deo honorificum; debet enim ſuus honos Deo reſtitui per ſatisfactionem. Secũdum, vt ſit ex ſe pœnale, & laborioſum, nempe vt peccator qui illicitè ſibi nimiùm indulſerat, hoc pacto puniatur; Cuiuſmodi ſũt Ieiuniũ, Oratio, & Eleemoſyna. Per ieiunium intellige non ſolùm cibi abſtinentiam, ſed alias etiam corporis afflictiones, vt diſciplinas, peregrinationes &c. Per orationem verò opera omnia ſpiritualia, vt lectiones, prædicationes, meditationes &c. Per eleemoſynam denique opera miſericordiæ, vt pupillos, infirmos, incarceratos viſitare, iuuare, conſolari &c. Per pœnas quoque, & flagella, quæ nobis à Deo immittuntur, & patienter tolerantur, ſatisfieri poteſt. Calamitates etiam aliæ, quæ ex cauſis naturalibus, vel liberis nobis obueniunt eatenus ſunt ſatisfactoriæ, quatenus à nobis æquo animo feruntur. Exempla priorum ſunt Iob calamitates, Tobiæ cæcitas &c. poſteriorum mors naturalis, vel violenta, iniuriæ &c.

118 POteſt-ne per hæc opera ſatisfieri, ſi quis in iis exercẽdis nullam percipiat moleſtiam, ſed potiùs delectationem.

Reſp. Poteſt: quod enim quis poſt longam aſſuetudinem voluptate aliqua perfũdatur, id per accidens eſt ſatiſq; eſt, quòd opus ipſum ex natura rei, & obiecti ſit difficile.

119 POenalitas, & moleſtia actus externi auget-ne ſatisfactionem.

Reſp. Auget; quia pœnalitas operis externi concurrit ad ſarciendam illam inæqualitatem, quã peccatum induxerat, quatenus homo priuat ſe bono vtili, & delectabili, in quibus plus æquo ſibi indulſerat.

120 OPera pœnalia, quæ aliàs ſunt debita, & in præcepto ſunt-ne ſatisfactoria.

Reſp. Sunt; poteſt enim per idem opus ſatisfieri diuerſis obligationibus, ratione plurium formalitatum, quæ in eo ſunt. v. c. in actu temperantiæ eſt ſubſtantia actus præcepti, & per hanc ſatisfieri poteſt præcepto de tali actu faciendo; Secundò eſt quòd ſit actus laude dignus, & fiat in gra-

tia, & sic valet ad meritum. Tertiò est quod idem actus difficilis sit, & molestus, & sic valet ad satisfactionem.

AD quam virtutem pertinet Satisfactio. 121

*Resp.* Etsi hic actus pertinere possit ad rationem iustitiæ, quia per illum constituimus æqualitatem quandam inter nos, & Deum; propriè tamen ad virtutem religionis pertinet, quia debitum, quod per satisfactionem Deo redditur, est superioris cuiusdam rationis quouis alio debito, necesse est igitur, vt pertineat ad superiorem quandam virtutē, & non aliam quàm religionis.

TEnetur-ne Confessarius imponere pœnitenti satisfactionem aliquam, quam ille teneatur acceptare. 122

*Resp.* Confessarius tenetur vi præcepti diuini ad imponendum pœnitenti satisfactionem, eamque, si iusta sit, & pro peccatis mortalibus imponatur, pœnitens acceptare tenetur sub obligatione peccati mortalis. 1. pars probatur, quia ex Concil. Florent. & Trid. satisfactio necessaria est ad integritatem Sacramenti, cùm igitur Sacerdos sit eius minister eniti debet, vt suis

omnibus partibus constet, nec mutilum sit, & imperfectum. 2. pars probatur, quia potestas, quæ data est Sacerdotibus, non solùm est ad soluendum, sed etiam ad ligandum, quod præcipuè debet intelligi de vinculo satisfactionis, nulla autem esset potestas ad ligandum in Sacerdote, nisi vicissim esset in pœnitente obligatio ad ei parendũ.

123 QVomodo peccaret, qui detrectaret satisfactionem acceptare in confessione venialium.

Resp. Is non peccaret mortaliter, sed tantùm venialiter, reddens Sacramentum aliquo modo imperfectum, posſetque, si à Sacerdote absolueretur ( quod facere non deberet Sacerdos ne peccato illius cooperaretur ) consequi remissioné peccatorum confessorum, si cætera non deessent. Ratio est, quia confessio venialium non est in re graui, neque quæ necessariò subiiciatur iudicio Sacerdotis: Idem iudicium faciendum est de satisfactione, quæ iniungeretur pro peccatis iam confessis, & remissis. Quin etiam id extendi potest ad pœnitentiam pro mortalibus iniunctam, quádo ea est leuissima, vt si oratio Dominica

ſemel, aut iterum tantùm eſſet recitanda, ob materiæ leuitatem.

DEbet-ne moribundo imponi Satisfa-ctio. 124

*Reſp.* Tutius eſt, etiam in articulo mortis, pœnitentiam aliquam leuem imponere, quam moribundus poſſit obire, vt breuem aliquam oratiunculam, vel mentis eleuationem in Deum, vel ſaltem ſub conditione, ſi ægrotus conualeſcat.

QVomodo ſe gerere debet Sacerdos in imponẽdis ſatisfactionibus ſcrupuloſo, qui ſæpius ſubinde confitetur peccata quæ memoriæ occurrnnt, vel quæ non ſatis ſuo iudicio declarauit. 125

*Reſp.* Si priorem ſatisfactionem iam impleuit, debet aliquam imponere pro qualitate peccatorum: Si verò nondum impleuit, & peccata leuia ſunt, aut circunſtantiæ non multùm aggrauantes, monere poteſt pœnitentem, vt priorem pœnitentiam applicet ad ſatisfactionem eorum; ſecus ſi peccata ita grauia eſſent, vt notabiliter mutarent ſtatum pœnitentis;

tunc enim condigna ſatisfactio iniungenda eſſet.

126 SI pœnitētia à confeſſario iniūcta ſit manifeſtè iniuſta, teneturne pœnitens eam acceptare, vel ſi acceptarit adimplere.

*Reſp.* Non tenetur, quia ſententia iudicis manifeſtè iniuſta non ligat. Idem dicendum, ſi pœnitens deprehendat ſuam cōfeſſionem fuiſſe nullam.

127 SI contingat vt pœnitens non recordetur ſatisfactionis iniunctæ, ad quid tenetur.

*Reſp.* Si ſua culpa id euenerit, aperire debet hunc defectum in proxima cōfeſſione; Quocunque autem modo id euenerit, aliam ſibi iniungendam in ſequenti confeſſione petere debet (niſi confeſſarius prioris recordetur) quamcunque enim aliam ipſe ſibi aſſumat, Sacramentalis non non erit: Non erit tamen neceſſe eadem peccata repetere, ſed ſufficiet confeſſario exponere, an pœnitentia iniuncta fuiſſet grauis, vel leuis.

EStne pœnitentia iniungenda ad arbitrium Sacerdotis. 128

R*esp.* Est; hoc tamen ſenſu, non quòd poſſit Sacerdos pro libito ſuo quaſcunque imponere (hoc enim repugnat Trid. ſeſſ. 14. c. 8.) ſed quod hoc negotium eius prudentiæ relinquatur, qui ſuſtinet perſonam, non tantùm iudicis, ſed etiam patris, & Medici, cuius eſt iniungere pœnitentiam iuſtam, id eſt, peccatis proportionatam, habita ratione non ſolùm grauitatis peccatorum, ſed multò magis perſonæ, loci, temporis, illecebræ peccandi, cæterarumque circunſtantiarũ; pœnitentiæ enim Sacramentales non imponuntur duntaxat, vt vindicta ſumatur de culpis præteritis, ſed etiam vt medicina futuris adhibeatur; quò fit, vt adoleſcenti fornicanti maior imponenda ſit pœnitentia, quam ſeni (eſto ille minùs peccet fornicando ob maiora, & vehementiora ad delinquendum ætatis incitamenta) quia naturâ propenſior eſt ad illud vitium, quod vt cohibeatur freno indiget, eſtque ad ferendam pœnitentiam validior, quam ſenex.

POteſtne pœnitenti imponi pœnitẽtia, quæ tantùm ſit ex conſilio. 129

*Resp.* Non poteſt, niſi ei alia adiungatur, ad quam obligetur; quia ſi pœnitentia eſſet tantùm ex conſilio, nulla eſſet obligatio ad eam explendam, quod tamẽ requiritur ad integritatem Sacramenti.

130 POenitentia Sacramentalis liberat-ne omnino à pœnis peccatorum.

*Resp.* Quando ſatisfactio Sacramentalis Mathematicè exæquat pœnam in purgatorio luendam, tota illa remittitur; alias non ſeruaretur iuſtitia in commutatione pœnarum illarum. An autem ſatisfactio iniuncta exæquet pœnam in purgatorio debitam, non poteſt Sacerdos prudenter iudicare, qui neque nouit, quanta pœna debeatur huic, vel illi peccato in purgatorio, neque quanta ſit vis ſatisfaciendi operibus huius vitæ.

131 POenitentia ab vno Sacerdote iniuncta poteſtne ab alio paris authoritatis, nec habente poteſtatem dandi indulgẽtias mutari, cùm non poteſt impleri citra incommodum pœnitentis.

*Resp.* Poteſt, ita enim obtinuit vſus.

POenirentia à superiore iniuncta, etiã propter casus ipsi reseruatos, poteſtne ab inferiori immutari, quando id suadet necessitas, aut vtilitas, nec superior adiri poteſt. 132

*Resp.* Poteſt, alioqui obligatio explendi pœnitentias esset intolerabilis. His tamen casibus præmittenda eſt confessio, vel peccatorum omnium, propter quæ fuerat iniuncta pœnitentia, vel certè grauiorum, quia cõmutatio illa pœnitentiæ eſt actus iudicialis, qui prudenter inſtitui non poteſt causa incognita.





# CAPVT VII.

## *DE EXTREMA Vnctione.*

## SECTIO I.

### *DE NATVRA EXTREMÆ vnctionis, institutione, vnitate, necessitate.*

1 QVOT sunt in Ecclesia Vnctiones.

Resp. Varię sũt in Ecclesia Vnctiones, alia est enĩ quę neque est Sacramentũ neq; Sacramẽtale, qualis est *Vnctio regũ*; alia quæ Sacramentũ quidẽ nõ est, est tamen quiddã Sacramẽtale, quia aliquo modo ordinatur ad Sacramentũ, vt

*vnctio Cathecumenorum*, alia quæ est Sacramentum, & dicitur *Extrema vnctio.*

EStne extrema vnctio verum, ac proprium nouæ legis Sacramentum. 2

Resp. Est, vt patet ex c. 5. Epistolæ Iacobi, *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Vbi continentur omnia ad essentiam Sacramenti requisita; 1. res externa, seu ritus sensilis, ipsa scilicet vnctio olei, cum oratione fidei, quæ duo pertinent ad materiã, & formam huius Sacramenti. 2. Promissio gratiæ, *Etsi in peccatis sit, remittentur ei.* 3. Christi institutio; nisi enim Christus hunc ritum instituisset, nũquam Iacobus tam constanter ei effectum gratię promisisset, cùm nemo sit, penes quẽ sit potestas instituendi signa efficacia gratiæ.

QVo tempore fuit hoc Sacramentum à Christo institutum. 3

Resp. Quamuis id non ita certum sit, probabilius tamen est, ab eo fuisse institu-

tum vel in nocte cœnæ, vel Ioa. 20. vbi collata fuit Apostolis potestas in peccata, ipsumque pœnitentiæ Sacramentum institutum, cuius Extrema vnctio est quoddam complementum tollens peccatorum reliquias.

4 ESTne Extrema Vnctio Sacramentum vnum, vel plura.

*Resp.* Et si Extrema Vnctio constet ex pluribus partialibus inunctionibus, & ex pluribus formis partialibus, eæ tamen omnes referuntur ad vnum, eundemque effectum significandum, qui est perfecta sanitas mentis, tollendo reliquias peccatorum; quare vnicum est signum sacrum, ac sensile gratiæ, vnicumque Sacramentum. Simile quid videre licet in Sacramento Eucharistiæ, in quo sunt diuersæ partiales materiæ, diuersæ item partiales formæ, quæ tamen vnicum Sacramentum conficiunt, quia vnam perfectam, & integram refectionem spiritalem significant.

5 ESTne Sacramentum Extremæ Vnctionis ad salutem necessarium, & quomodo.

*Resp.* Non eſt neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem, quia non confert primã gratiam, ſed eam ſupponit, Neque item neceſſariũ eſt, neceſſitate præcepti diuini, vel Eccleſiaſtici, quod obliget ad mortale, quia nullibi exſtat tale præceptum: ſi tamen omitteretur ex contemptu, vt ſi infirmus ſe digniorem exiſtimaret, quàm vt ſe ei ſubiiceret, vel ſi ex eius omiſſione ſequeretur ſcandalum, puta quia inde moueretur aliis ſuſpicio hæreſis; graue peccatum eſſet illud prætermittere: ſecus, ſi ex ſola aliqua negligentia.



## SECTIO II.

### *DE MATERIA, ET forma Extremæ Vnctionis.*

QVÆNAM eſt materia Sacramenti Extremæ Vnctionis. 6

*Resp.* Duplex eſt eius ma-

teria, Remota scilicet, & Proxima. Remota est solum Oleum oliuarũ. Proxima ipsa inunctio, seu vsus olei circa moribundum. 1. pars colligitur ex c. 5. Iacobi, *Vngentes eum oleo.* Oleum autem propriè, & absolutè illud tantùm dicitur, quod ex oliuis cõficitur. 2. pars ostenditur, ex eo, quòd omnia Sacramenta (excepta Eucharistia) non consistunt in re permanente, sed in vsu, & applicatione materiæ, applicatio autẽ olei est ipsa inunctio.

7 EStne de essentia huius Sacramenti, vt Oleum sit benedictum.

*Resp.* Est; quia Concil. Florẽt. & Trid. sess. 10. expressè dicunt *materiam huius Sacramenti esse oleum oliuæ ab Episcopo benedictum.* Nec probabile est hanc benedictionem posse committi simplici Sacerdoti.

8 EStne de necessitate huius Sacramenti, vt inunctio illa fiat in formã Crucis.

*Resp.* Non est, quia id ex nullo capite colligi potest, peccaret tamen qui secus faceret, cùm id consuetudine receptum sit; sed peccatum non videtur futurum graue, modò absit contemptus.

Quænam

QVænam est forma huius Sacramenti. 9

Resp. Hæc, quæ traditur à Concil. Florent. & Trid. *Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, per auditum &c.*

VErba illa, quæ communiter adduntur 10
*In nomine Patris &c.* sunt ne essentialia formæ.

Resp. Non sunt; seruanda tamen est quod ad illa attinet, cuiusque Ecclesiæ consuetudo.

VErba illa, *Per suam piissimam misericordiam,* sunt ne essentialia formæ. 11

Resp. Non, sine graui tamen peccato omitti non possunt.

DEbet-ne forma illa toties repeti, quot fiunt inunctiones. 12

Resp. Debet, Ita enim habet praxis Ecclesiæ, & qui secus faceret, Sacramentum dubium redderet, quod sufficit, vt non liceat.



# SECTIO III.

## DE MINISTRO EXtremæ Vnctionis.

13 QVis est proprius Minister Sacramenti Extremæ vnctionis.

*Resp* Solus Sacerdos potest esse Minister huius Sacraméti, Ita definitur à Trid. sess. 14. c. 3. & can. 4. de hoc Sacramento, & colligitur ex D. Iacobo. *Inducat Presbyteros*, quod intelligendum de senioribus non ætate, sed dignitate, & ordine, docet idem Trid. supra c. 3.

POtest-ne quiuis Sacerdos hoc Sacramentum ministrare.

14 *Resp.* Potest quidem quiuis Sacerdos hoc Sacramentum validè ministrare, cùm non sit actus iurisdictionis; non potest tamē licitè conferri à quoquam alio, quàm à paparocho, seu propriò Sacerdote ( quo nomine veniunt etiam superiores Religionum ) vel alio de eius licentia. Quare pec-

caret grauiter Sacerdos, qui ſubiectis non ſuis, ſine licentia paſtoris ipſorum, hoc Sacramentum miniſtraret, & inſuper, ſi religioſus eſſet, incurreret excommunicationem papalem, vt habet Clementina 1. de priuilegiis.

QVid ſi ægroto non adeſſet paſtor ſuus, & cenſeretur morti proximus. 15


Reſp. In hoc caſu poſſet quiuis ſimplex Sacerdos etiam religioſus hoc Sacramentum miniſtrare per ratihabitionem parochi, & quia præſumitur Eccleſia nolle filiorum ſuorũ ſalutem periclitari, ac proinde facere hãc poteſtatem cuiuis Sacerdoti.

SI hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus conferretur, itaut ſinguli pronuntiarent partem aliquam formæ, cum partiali inunctione, eſſet-ne validum. 16

Reſp. Eſſet, illicitè tamen id ita fieret, & contra praxim Eccleſiæ, niſi neceſſitas ad id cogeret, vt ſi Sacerdos moreretur antequam omnes inunctiones abſoluiſſet, tunc enĩ poſſet ab alio ſuppleri, quod defuiſſet.


SI vnus Sacerdos inungeret ægrotum, alius verò verba formæ pronuntiaret, conſtaret-ne Sacramentum. 17

*Resp.* Aut nullum esset Sacramẽtum, aut dubium, ac proinde illicitum esset illud eo modo ministrare.



## SECTIO IV.

### DE IIS QVIBVS CONferendum est Extremæ vnctionis Sacramentum, & de partibus inungendis.

18 
Q Vinam sunt capaces Extremæ vnctionis suscipiendæ.

*Resp.* Soli Baptizati, adulti, ratione vtentes, aut qui aliquãdo vsi sunt, & infirmitate aliqua laborant, capaces sunt huius Sacramenti: de Baptizatis patet ex verbis D. Iacobi. *Infirmatur quis in vobis*, scilicet *Christianus*. & ex peruulgato axiomate, Baptismum esse ianuam ad reliqua Sacramenta: de adultis ratione vtẽtibus constat, quia hoc Sacramentum institutum est ad tollendas reliquias peccato-

rum, ad roborandum infirmi animum contra tentationes, & contra tædium ex morbo conceptum, &c. horum autem effectuum capaces non sunt pueri, nec perpetuò amẽtes. De infirmis, manifestum est ex iisdem Iacobi verbis. *Infirmatur quis in vobis, &c.*

QVænam infirmitas requiritur in suscipiente hoc Sacramentum, 19

*Resp.* Requiritur vt infirmus in probabili mortis periculo versetur, ex Concil. Florent, quod ait *non debere dari, nisi infirmo, de cuius morte timetur.* Non expectandum tamen, donec ægrotus ita extremè laboret, vt censeatur iam iam moriturus, sed expedit ei conferri hoc Sacrementum, dum est adhuc integris sensibus (vt percipere possit alacritatem illam spiritalem, quæ est effectus huius Sacramenti) & superest adhuc aliqua spes salutis corporalis; cùm & hæc pertineat etiam ad effectus huius Sacramenti.

POtest-ne hoc Sacramentum conferri iis, qui cùm nullo morbo laborent, paulo post capite plectendi sunt, vel in periculo naufragij versantur &c. 20

*Resp.* Non potest, et si conferatur, nullum erit Sacramentum, patet ex verbis D. Iacobi, ex vsu Ecclesiæ, & fine huius Sacramenti, qui est sanitas.

21 SI conferretur hoc Sacramentum initio morbi esset- ne validum.

*Resp.* Id dubium est, præsertim si morbus leuis esset; si verò grauis, probabile est futurũ validum. Innuit Trid. sess. 14. c. 3.

22 NIhil-ne interest, vnde contrahatur infirmitas.

*Resp.* Modò ægrotus morbum contrahat, ex quo mors immineat, parum refert vnde, aut quo ex principio nascatur infirmitas: vnde si quis periclitetur de vita, ex morbo naturaliter contracto, vt acuta febri, graui senio, peste; Item ex veneno, vulnere læthali &c. poterit inungi.

23 FVriosi, & amentes qui habent lucida interualla, sunt-ne capaces huius Sacramenti.

*Resp.* Si in sanitate illud petierint, fuerintque probatæ vitæ, vel certè non

constet eos esse impœnitentes, nec sit periculum irreuerentiæ erga Sacramentum, poterit iis dari. Quòd si non petierint, debet iis nihilominus dari, si vixerint benè Catholicè, quia præsumitur quod petiissent, si fuissent memores.

SI dubitetur, an infirmus inungendus obierit, quid facto opus est. 24

*Resp.* Inungendus erit sub conditione; idemque sentiendum, si dubitetur, nec certum sit, an exspirarit, antequam omnes inunctiones peractæ sint, pergendum enim erit ad reliquas sub conditione; secus, si constet esse mortuum.

QVænam corporis partes sunt inungendæ. 25

*Resp.* De necessitate Sacramenti est, vt inungantur 5. organa sensuum: oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, & manus propter tactum. Docet praxis Ecclesiæ; Cuius ratio est, quòd peccata omnia originem ducant ex 5. sensibus, quibus

proinde tanquam radicibus morborum medicina sit adhibenda. Quod ad renes, & pedes attinet, etsi inungi debeant, vbi consuetudine receptũ est, id tamẽ nõ, est de necessitate Sacramenti; vnde fit, vt in plærisq; locis earũ partiũ inunctiones prætermittãtur, præsertim in fœminis, quæ ob honestatem non vngũtur in renibus, sed tantùm prope vmbilicum, Quare Florent. recensens septem dictas vnctiones sic interpretor, vt velit eas omnes approbandas, non tamen omnes esse de essentia Sacramenti.

26 QVomodo se gerere debet Sacerdos, cùm ægroto deest aliquis horum sensuum.

R*esp*. Inungi debent partes dictis sensibus propinquiores.





# SECTIO V.

## DE DISPOSITIONE suscipientium Extremã Vnctionem, deq; eius effectu, & iteratione.

Quæ est dispositio necessaria in suscipiente hoc Sacramentum. 27

Resp. Primò requiritur in eo voluntas, & consensus eius suscipiendi; hic tamen consensus non necessariò debet esse explicitus, sed sufficit virtualis, qui in infirmo censetur esse, cùm is Christianè vixit, & bene se disposuit ad mortẽ, præsertim per Confessionem, & communionem, vt docet praxis Ecclesiæ, quæ hoc Sacramentum confert iis, qui vi morbi de repente opprimuntur, & si illud non petierint. Secundò vt quis cum fructu hoc Sacramentum suscipiat, necesse est, vt priùs conteratur, vel putet inuincibiliter se contritum. Non est enim primò, & per

ſe inſtitutum ad tollenda peccata ſaltem mortalia, vel conferendam primam gratiam, ſed illam ſupponit. Quare qui cum conſcientia peccati mortalis illud ſuſciperet, peccaret grauiter.

28 QVinam eſt effectus Sacramenti Extremæ vnctionis.

*Reſp.* Hoc Sacramentum primariò, ac peculiater eſt inſtitutum ad conferendam gratiam habitualem, cui debentur auxilia quædam actualia, tum ad tollendas reliquias peccatorum, tum ad hominem muniendum in vltimo illo agone, contra omnes tentationes, ac difficultates. Colligitur ex Trid. ſeſſ. 14. c. 2. de Extrema vnctione. Vbi verba Iacobi de his explicat. Inſtitutum etiam eſt peculiari aliquo modo ad tollenda peccata venialia, vt indicare videntur verba Iacobi. *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Denique confert ſanitatem corporis, quando ita expedit ad ſalutem animæ. Ita Trid. ſupra.

29 QVænam diſpoſitio requiritur ad remiſſionem venialium in hoc Sacramento.

*Resp.* Requiritur vel eorũ Attritio, vel certè voluntas illud in eum effectum suscipiendi; quæ voluntas censetur virtualis eorum detestatio.

QVandonam Sacramentum Extremæ vnctionis confert suum effectum. 30

*Resp.* Confert suum effectum (gratiam nimirum) ilico post quintam inunctionē. Ratio est, quia tunc constat tota Sacramenti essentia, cùm post illam integrè significatæ sint causæ, & radices morborum spiritualium, ex quibus reliquiæ peccatorum profluxerunt, contra quas est institutum hoc Sacramentum per modum pharmaci cuiusdam, quod applicari debet radici morbi.

DAnturne simul cum gratia auxilia illa actualia, quæ conferuntur ad tollendas peccatorum reliquias. 31

*Resp.* Non semper dãtur cum illa, quia dãtur ad superandas tentationes, quæ infestare solēt hominē in articulo mortis, ad roborandũ infirmi animum contra imbecillitatem illam, & ineptitudinē ad benè operandum in mente ipsa ex peccato relictum, ad fugandam tristitiam illam

ortam ex apprehensione imminētis separationis animæ à corpore, vt anima in Deū erigatur, recreetur, serióque saluti suæ prospectum velit, suffulta firma fide, spe diuinæ misericordię, & patientia: dari igitur debent ea auxilia, cùm maior est eorū necessitas, hoc est, cùm maximè vrgent difficultates vltimæ illius luctæ: vrgent autem non tantùm cùm confertur gratia, sed deinceps ad finem vsque vitæ. Simile quid est in Confirmatione, auxilia enim quæ dantur ad profitendam fidem, tunc tantùm dantur, cùm necesse est fidem profiteri.

32 QVomodo numeratur sanitas inter effectus huius Sacramenti, cùm enim Sacramenta sint efficacia, & habeant infallibiles effectus, si sanitas esset verus huius Sacramenti effectus, possent vitæ hominum perpetuò prorogari.

*Resp.* Non est necesse, vt Sacramentorum effectus secundarij, cuiusmodi est sanitas ægroti, sint ita infallibiles, vt patet in Confirmatione, quæ non reddit Confirmatum infallibiliter constantem in fide coram Tyranno profitenda, & in Eucharistia, quæ non efficicit infallibiliter, vt

homo propulset incursus Dæmonum.

POtestne Sacramentum Extremæ Vnctionis iterari. 53

*Resp.* Potest iterari non solùm in diuersis infirmitatibus, sed etiam in eadem, puta si quis post probabile mortis periculum conualescat, & iterum incurrat idem periculum. Etsi enim ratione continuationis vna, eademque infirmitas dici possit, quatenus tamen exponit infirmum nouo mortis periculo, diuersa censeri potest, atque ita seruatur in praxi.





# CAPVT VIII.

## DE ORDINE.

## SECTIO I.

### *DE NOMINE ORDINIS, natura, numero.*

1. VÆNAM sunt huius vocis, *Ordo*, significationes.

*Resp.* 1. Sumitur amplissimè pro respectu, seu habitudine quadam inter plura, quorum alterum altero prius est; sic inter causam, & effectum reperitur ordo quidam, secundùm quem causa dicitur esse naturâ prior effectu. 2. significat statum quendam hominum cæteris præeminentium ob officiũ aliquod Ecclesiasticum ad, quod assumun-

tur. 3. sumitur pro ipsa actione, qua tales consecrantur, quæ actio ordinatio dicitur. Et definitur, *Ceremonia quædam externa, ac sensilis, qua confertur, ac significatur potestas Ecclesiastici ministerii, ad decenter celebrandum Sacramentum corporis Christi.*

ESTne ritus ille, seu ordinatio verum, & 2
proprium nouæ legis Sacramentum.

Resp. Est: definitur à Trid. sess. 23. c. 3. & Ratio est, quia in ordinatione inueniuntur tria illa ad rationem Sacramenti necessaria, ac Primò quidem ceremonia externa significans gratiam, quæ plerumque est manuum impositio, de qua frequens est mentio in scripturis, Acto. 14. *Cùm constituissent eis presbyteros*, scilicet per manuũ impositionem, vt sonat vox græca. 1. Timoth. 4. *Cum impositione manuum presbyterij*, & c. 5. *Nemini citò manus imposueris &c.* Secundò promissio gratiæ, *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam, cùm impositione manuum presbyterij*, 1. ad Timoth. 4. Tertiò Institutio Actorum 20. *In quo nos posuit Spiritus sanctus Episcopos*, & ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios prophetas, alios pastores, & Doctores.*

3 QVot sunt ordines ministrorum Ecclesiæ.

*Resp.* Septem sunt veri, & proprij ordines, nimirum Sacerdotum, Diaconorũ, Subdiaconorum, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum. Est Tridẽt. sess. 23. c. 2. Et si enim Episcopus certo ritu ordinetur, eóque diuerso à ritu, quo Sacerdos ordinatur, non censetur tamen ordo diuersus, quia ordinum diuersitas hîc petitur ex diuersitate ministerii, quod exhibetur Eucharistiæ; idem autem exhibẽt Sacerdos, & Episcopus; vel quod alijs placet, cùm numerantur septem ordines, habetur ratio eorum tantùm, qui vni, & eidẽ ordinariè cõferri solent. Tonsura verò non est Ordo, sed tantùm destinatio ad ordines.

4 OMnesne, & singuli ex septem ordinibus sunt Sacramenta.

*Resp.* Sunt: probatur ex Trid. sess. 23. c. 2. vbi cum septem illos ordines percensuisset, c. 3. absolutè definit ordinem esse Sacramentum.

SECTIO 2.



# SECTIO II.

## *DE DIVISIONE ORdinum, vnitate, diſcrimine inter ſe, eorumque autore.*

QVomodo diuiduntur Ordines.

*Reſp.* Ex his ſeptem Ordinibus tres vocantur Maiores, & Sacri; alij vocantur Minores, & non ſacri; Etſi enim omnes ordines ſunt ſacri, quatenus ſunt ſigna gratiæ habitualis, aliqui tamen ex illis peculiariter, & veluti per excellentiam dicuntur Sacri, tum quia per illos inſigne quoddam miniſterium circa Euchariſtiam exercetur, non item per alios; tum quia habent annexum votum continentiæ (quo Ordinati fiunt inhabiles matrimonio) quod aliis adiunctum non eſt. Maiores, ſeu ſacri ſunt tres, nimirum Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus. Minores, ſeu non ſacri ſunt quatuor,

Acolytatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Ostiariatus.

6 VNum ne tantùm Sacramentum constituunt septem illi Ordines.

*Resp.* Vnum tantùm constituũt; alioqui plura essent Sacramenta, quam septem, contra Trid. & Florent. Sunt autem vnum Sacramentum vnitate signi constituti ad significandum eam omnem gratiam, quæ datur ad perfectum vsum potestatis collocatæ circa ministerium Eucharistiæ: quæ significatio incompletè quidem in singulis ordinibus, cõpletè vero in omnibus simul reperitur. Sic species panis, & vini in Eucharistia conueniunt inter se ad vnum tantùm Sacramentum, vnicumque signum completum constituendum eius gratiæ, quæ in ea datur per modum perfectæ refectionis spiritalis.

7 QVomodo differunt singuli ordines inter se collati.

*Resp.* Differunt specie incompletâ, quia non modò constant diuersa materia, & forma, sed etiam ordinantur ad actus, & effectus specie diuersos, qui proinde aliâ,

& aliam gratiam; alia item, & alia auxilia requirunt.

FVerunt ne hi omnes Ordines à Chriſto 8
inſtituti.

*Reſp.* Fuerunt, vt cõſtat tum ex ſcriptura, tum ex traditione, & patrum autoritate.



## SECTIO III.

## *DE MATERIA, ET forma ſingulorum Ordinum.*

QVænam eſt materia Preſbyteratus. 9

Nota in omni ordine formã eſſe verba illa, quæ proferũtur, quando materia Ordinis applicatur, & quibus ſignificatur traditio poteſtatis, quæ confertur in quouis Ordine. Quare forma omiſſa, dicendum tantùm de materia.

*Reſp.* Tota materia preſbyteratus cõſiſtit eſſentialiter tum in traditione calicis cum vino, & patenæ cum pane, tum etiam

in impositione manuum. 1. pars expressè definitur à Florent, 2. verò probatur, quia per illam manuum impositionem presbyteri ordinantur, ex Trid. sess. 14. de Extrema vnctione. c. 3. in eaque ceremonia gratia confertur, vt colligitur ex eodem Trid. sess. 2; can. 4. Illa igitur manuum impositio, cum sit ceremonia sensilis, qua homines Deo consecrātur, & gratia illis confertur, ad materiam Sacramenti sine dubio pertinet. Ex quibus infero, vt in ordinatione presbyteri duæ sunt formæ, quibus duæ traduntur potestates, vna ad consecrandum corpus Christi, his verbis, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo. &c.* altera ad remittenda peccata, his aliis, *Accipe Spiritum Sanctum. quorum remiseris peccata &c.* Ita duplicem iis correspondere materiam, nimirum vasorum porrectionem & manuum impositionem; ex quibus omnibus Ordo Sacerdotij, seu presbyteratus essentialiter componitur, Ita ut alterutrius partis defectu Sadotium maneat imperfectum, incompletum, & veluti dimidiatum.

10 QVænam est materia Diaconatus.

*Resp.* Est impositio manuũ, & traditio libri Euãgeliorũ: de impositione ma-

nuum, definitur à Concil. Cartag. 4. c. 4. & ratio est, quia illud pertinet ad materiam alicuius Sacramenti, quod eius formæ coniungitur, & per eam significatur; Ita autem se habet impositio manuum ad formā Diaconatus, quæ est, *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo, & tentationibus eius*. Coniungitur autem tali formæ, & per eam significatur, quatenus ea significat protectionem quandam & abundantiam spiritus sancti, igitur impositio manuum pertinet ad materiam Diaconatus. De porrectione autem Euangeliorum definitur à Florent.

QVomodo potest porrectio libri Euangeliorum pertinere ad materiam Diaconatus, cùm initio Ecclesiæ fuerint Ordinati veri Diaconi, quo tamen tempore nōdum scriptus erat liber Euangeliorum. 11

*Resp.* Christum liberum reliquisse Ecclesiæ, vt significaret collationem potestatis Diaconi, per traditionem huius, vel illius rei; vnde ex iusta causa variis modis fieri potuit, eo modo, quo nō determinauit Christus verbis-ne an signis contrahentes matrimoniū cōsēsū mutuū exprimerēt, sed

id voluntati contrahentium permisit.

QVænam est materia Subdiaconatus.

*Resp.* Est traditio calicis vacui cum patena. Ita docet Florent. Traditio autem libri Euangeliorum, manuum impositio, traditio vrceoli, ampullarum &c, sunt tantùm ceremoniæ quædam Sacramentales, & piæ.

13 QVænam est materia quatuor minorum ordinum.

*Resp* Probabilius est materiam Acolytatus esse duplicem, vnam porrectionem candelabri cum cereo, alteram traditionem vrceoli, quia per vtramque illam ceremoniam confertur Acolyto potestas aliqua. Materia Exorcistatus est traditio libri Exorcismorum, vt Lectoratus traditio libri, in quo continentur lectiones prophetarum. Ostiariatus denique traditio clauium templi; addunt aliqui & traditionem cāpanæ.

14 ESt-ne necesse ad validitatē Sacramenti vt ordinandus verè, ac physicè tangat materiā, quæ illi in ordinatione exhibetur.

*Resp.* Probabilius est contactū physicū esse necessariū non tantùm necessitate præ-

cepti, (quod patet ex praxi Ecclesiæ) sed etiam necessitate Sacramenti: aliàs enim non videtur ei materia sufficiẽter applicari: Quod si omitteretur, censerem huiusmodi contactum physicum supplendum, præsertim in Sacerdotio, quia res maioris momenti est. Vbi aduertendum in Sacerdotio non esse necesse, vt tangatur hostia, sicut nec vt vinum, quod calice continetur; quia quemadmodum tangendo calicem censetur quis sufficienter tangere vinum, ita tãgendo patenam censetur tangere ipsam hostiam ei superpositam. Eniti tamen debet ordinandus ad maiorem securitatem, & ad vitandum scrupulum, & quia res alicuius momenti est, vt vtrumque tangat.

QVodnam est munus singulorum istorum Ordinum, 15

*Resp.* Sacerdotibus ex officio incumbit Sacramentum corporis, & sanguinis Christi ad altare cõficere, illud populo ministrare, à peccatis absoluere, dona Dei benedicere, preces fundere: Sacramenta conferre, exceptis Confirmatione, & Ordine, quæ Episcoporum propria sunt: denique prædicare, & docere populum ex facultate Episcopi. Diaconorũ est præcipuè Sacerdo-

ti sacrificanti proximè assistere, eique panē, & vinum ministrare, tēpore Sacrificij solēnis, cum stola Euangelium recitare, Eucharistiam Sacerdotis loco deferre, ac præbere Laicis &c. prædicare verbum Dei de licentia Episcopi. &c.

Subdiaconis incumbit proximè assistere Diaconis, & illis in sacrificio ministrare, aquam illis porrigere ad lauandas manus Sacerdotis, Illis porrigere manutergium, calicem, & patenam, vt eā postea offerant Sacerdoti cum materia consecrationis, cātare solemniter, & ex officio Epistolam.

Acolytorum est 1, ac præcipuè parare ampullas vini, & aquæ, eaque Subdiacono porrigere, Luminaria accendere, seu ferre candelabrum cum cereo accenso ante Sacerdotem ad altare procedentem, & ante Diaconum, cùm pergit ad cantandum Euangelium.

Exorcistarum est manus super Energumenos imponere, & super illos nonnulla recitare ad expellendos dæmones.


Functio Lectotum erat ex superiori loco lectiones prophetarum in Ecclesia legere, Catechumenos instruere, benedicere panem, & nouos fructus.

Ostiariorum munus est fores templi claudere, & aperire, easque custodire, in templum admittere qui digni sunt, indignos excludere, quales antiquitus erant pagani, catechumeni, excommunicati, & qui publicam agebant Pœnitentiam.



## SECTIO IIII.

## DE EFFECTV SACRAMENTI ORDINIS.



QVis est effectus Sacramenti Ordinis. 16

*Resp.* Præter gratiam iustificātem, quæ ex opere operato confertur à quolibet ordine ex septem numeratis, conferuntur etiam auxilia quędam gratiæ actualis ad ministerium suscepti Ordinis ritè obeundum, eo modo, quo reliqua sacraméta conferunt auxilia quædam actualia ad eos actus rectè exercēdos, ad quos ordinātur, vt Confirmatio ad fidē profitendam, Matrimonium ad onera ma-

trimonij faciliùs ſubeunda, &c.

Ad hæc ſinguli ordines imprimunt ſuũ caracterem indelebilem, qui eſt illa ipſa poteſtas, quæ confertur Miniſtris Eccleſiæ ad Eccleſiaſtica munia obeunda, quæ enim Sacramenta repeti non poſſunt, imprimunt caracterem, ex Florent.

17 SI non baptizatus ordinaretur, conferreturne illi caracter.

Reſp. Non, quia baptiſmus eſt ianua ad cætera Sacramenta.

18 QVid ſi ordinandus baptizatus eſſet, nondum tamen confirmatus.

Reſp. Non confirmatus ſuſcipiens ordines peccaret quidem, valeret tamen ordo collatus: idemque dicendum de eo, qui ſuperiorés ordines ſuſciperet, ante inferiores, (loquendo de ſeptem inferioribus ordinibus) ordinatio enim valida eſſet, nec reiteranda, (ſic tamen ordinatus maneret ſuſpenſus à ſuſcepti executione) ſed ſuppleda eſſet ſuſceptio ordinis prętermiſſi.


19 EStne vnius ordinis vnus tantùm Caracter.

*Resp.* Vnus quidem est tantùm vnius Ordinis caracter, isque simplex, vel compositus, pro ratione ordinum, quorum aliqui consistunt in indiuisibili, alij diuersis actionibus essentialibus constant, vt de Sacerdotio dictum est. Probabile etiam est ex omnibus caracteribus singulorum ordinum conflari vnicum totalem caracteré, qui sit potestas ad exhibendum perfectum ministerium Eucharistiæ. vt enim singuli ordines sunt vnicum tantùm Sacramentum, sic iis correspondet vnicus totalis caracter, compositus ex pluribus partibus heterogeneis.



## SECTIO V.

## *DE EPISCOPATV sigillatim.*



STne Episcopatus iure diuino superior Sacerdotio. 20

*Resp.* Episcopi iure diuino superiores sunt tam potestate

Ordinis, quàm iurisdictionis simplicibus Presbyteris. Necesse enim est, vt ij Ecclesiæ ministri Ordine differant, quorum sunt diuersæ consecrationes, potestates diuersæ, munera distincta; huiusmodi autem sunt Episcopi, & Sacerdotes, vt patet tum ex can. 1. & 2. Apostolorum, & ex Pontificali Romano, tum quia Episcopi possunt administrare Sacramentum Ordinis, & Confirmationis; possunt item consecrare tépla, altaria, vasa sacra, &c quod non possunt simplices Sacerdotes.

21 EStne Episcopatus Sacramentum.

*Resp.* Episcopatus est verum, & propriè dictum Sacramentum: quantũ enim colligitur ex scriptura, aut ordinatio Episcopi est Sacramentum, aut nulla ordinatio est Sacramentum. Non est autẽ Episcopatus vnum integrum, ac totale Sacramentum distinctum à reliquis ordinibus, sed cum ijs vnicum, ac totalem ordinem componit, alioquin plura essent Sacramenta, quàm septem, contra Trid.

22 EPiscopatus imprimitne nouum Caractérem.

*Resp.* Imprimit nouum caractẽrẽ par-

tialiter diſtinctum à Caractere Sacerdotij. Ratio eſt, quia confert Sacerdoti nouam poteſtatem ordinandi Epiſcopos, & Sacerdotes, ergo & nouum caracterem; cùm per caracterem nihil aliud intelligatur, quàm poteſtas aliqua intrinſeca, & permanens.



# SECTIO VI.

## DE CONDITIONIBUS Ordinandorum.



Stne de Eſſētia Sacramēti Ordinis, vt ſuſcipiens illud ſit vir. 23
*Reſp.* Sexus virilis eſt conditio neceſſaria in eo, qui ordinatur, adeout mulier ſit omnino incapax ordinis. Probatur ex facto ipſius Chriſti, qui ne quidem beatiſſimam matrem ſuam fœminarum omnium digniſſimam ordinauit, & quia quo iure prohibetur mulier in Eccleſia loqui. 1. Cor. 14. & 1. ad Timot. 2. eodē iure interdicitur ordinibus inſigniri, qui bona ex parte ad docendū referuntur.

24 POtestne infans ordinari.

*Resp.* Si infanti Ordo conferatur, etiã sacer, erit verè ordinatus. Ratio est, quia vsus rationis ad validitatem Sacramẽti necessarius non est, nisi quando Sacramentum consistit in actu aliquo humano, vt Matrimonium, & pœnitentia, huiusmodi autem non est Sacramẽtum Ordinis. Puer tamen ita ordinatus non obligaretur ad onera, quæ sequuntur ordinationem, qualis est continentia & c. nisi post rationis vsũ ordinationem suam approbaret.

25 QVæ conditiones requiruntur, vt quis licitè ordines suscipiat.

*Resp.* Requiritur 1. certa ætas. Circa quod Trid. sess. 23. c 12. de reform. statuit *Vt nullus deinceps ad Subdiaconatus ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad Prebyteratus ante 25. ætatis suæ annu promoueatur.* Quod intellige de annis inchoatis. Ad minores ordines suscipiendos requiritur vt minimũ septenniũ, quo exacto potest statĩ Clericus iis initiari. *Tonsuram quoque suscepturus septennis esse debet, & confirmatus*, ex Trid. sess. 23. c. 4. de reform. quod idem voluit inter susceptionem vltimi ordinis ex minoribus, & Sub-

diaconatum, & ita deinceps intercipi annum vnum, nisi aliud exposceret necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas. 2. requiritur morum integritas, tum vt Sacramenta aliis dignè ministret, tum vt iis vitæ exemplo præeat. 3. requiritur certa scientia; vnde Trid. supra requirit, vt prima tonsura initiandus sciat rudimenta fidei, itemque legere, & scribere. Ad 4. minores requirit præterea aliquam cognitionem linguæ latinæ. Qui verò cupiunt ad superiores ordines gradum facere, tanta scientia instructi esse debent, vt norint ministeria eorum ordinum, ad quos promouendi sunt, & maximè cùm iis demandata est cura animarum. 4. Titulus aliquis beneficij Ecclesiastici pacificè detenti, ac sufficientis ad victum honestum, vel ex causa legitima (qualis est vtilitas, vel necessitas Ecclesiæ) patrimonij, vel pensionis, quæ pariter ad vitam sufficiant. Quo titulo abdicare se nullus potest, nisi valeat aliunde viuere. 5. requiritur examen, debet enim ordinandus examinari, & approbari ab Episcopo. ex Trid. sess. 23. c. 7. & 12. de reform. nisi aliunde constiterit de moribus, & scientia ordinandi. Quod si quis nec approbatus, nec examinatus se ordinandum sci-

enter offerret, peccaret grauiter: quo tamen peccato non obstante verè ordinaretur, si cùm venitur ad singulorum ordinationem, velit Episcopus singulos ordinare, esto priùs intenderit in genere non examinatos non ordinare; posterior enim intentio priorem corrigeret. 6. Necesse est, vt Clericus immunis sit ab omni censura, irregularitate, & quolibet impedimento iuris. Vltima conditio est, vt non ordinetur, nisi à proprio Episcopo, aut ab alio de eius licentia; proprius autem Episcopus tripliciter dicitur, vel ratione originis, vel ratione domicilij, vel ratione beneficij; quò fit, vt si quis in aliqua Diœcesi natus esset, & in alia haberet domicilium, animo ibi permanendi, in tertia verò beneficiũ, posset à quouis ex tribus illis Episcopis ordinari, aut literas dimissorias accipere, quia cuiuis ex illis subditur, quoad susceptionem ordinum. Excipiuntur à superiore regula familiares Episcoporum, qui per triẽnium apud ipsos commorati sunt, dummodo eis statim re ipsa beneficium conferant. Trid. sess. 23. c. 9. de reform.

26 QVis est ordinarius Minister Sacramenti Ordinis.

Resp.

*Resp.* Solus est Episcopus. Ita Florent. & Trid. sess. 23. can. 7.



# SECTIO VII.

## DE MINISTRO ORdinis, eiusque conditionibus, & temporibus ordinationum.

POtest ne qui Episcopus non est, conferre aliquando hoc Sacramentum, si ipsi fiat eius rei potestas. 27

*Resp.* Potest simplex Sacerdos ex delegatione Summi pōtificis validè conferre minores ordines. Constat ex praxi Ecclesiæ & Trid. sess. 23. c. 10. de reform. vbi hoc concedit Abbatibus respectu regularium subditorū suorum. Immò probabile putāt permulti nonnullis Abbatibus ex speciali priuilegio licere Subdiaconos, & Diaconos creare. Nullum tamen exstat exemplum, quo vnquam non Sacerdoti licuerit conferre ordinem vllum, aut Sacerdoti simplici conferre Sacerdotium,

28 POssunt-ne Episcopi hæretici, degradati, & ab Ecclesia præcisi validè ordines conferre.

*Resp.* Possunt; retinent enim illi veram potestatem ordinandi, quæ datur per impressionem caracteris indelebilis.

29 CVius est ordinare Episcopum.

*Resp.* Episcopus ordinari non potest à non Episcopo, quia maior à minori benedici nequit. Ad cõsecrationem autem ipsius ex constitutione Ecclesiæ requiruntur tres Episcopi.

30 QVæ conditiones requiruntur vt ordines legitimè conferantur.

*Resp.* Episcopus, vel alius ordinans debet esse in gratia, 2. Nulla debet esse censura irretitus; aliàs grauiter peccabit tam ille, quàm qui ab eo scienter ordinabitur, præter irregularitatem, quam inde incurret. 3. Debet esse Episcopus consecratus, alioquin erit Episcopus tantùm quo ad iurisdictionem, nõ quo ad ordinem, vi cuius tamen ministrat ordinationes.

31 QVo tempore debent conferri Ordines.


*Resp.* Tonsura quouis tempore, etiam die festo conferri potest. Ita enim habet generalis Ecclesiæ consuetudo. Minores ordines quibusuis festiuis diebus dari possunt vni, vel duobus, vel etiam pluribus ex causa, Possunt quoque omnes eodem die cum prima tonsura eidem conferri, vbi ita habet consuetudo. Non licet tamen duos ordines sacros, vel vnum sacrum, & alterum non sacrum ( nisi quis consuetudine excusetur) eodem die ministrare. Item minores ordines dari possunt diebus Sabbati, quibus maiores dari solent: quin etiam nonnullis placet minores conferri posse feria sexta ante eiusmodi Sabbata, vel feria quarta quatuor temporum. Maiores veró conferri non possunt, nisi Sabbatis quatuor temporum, Sabbato Sancto, & Sabbato ante Dominicam de passione ex c. de eo, de temporibns ordin. Quæ omnia intellige de Episcopis. Papa verò omni tempore ordinare potest,





# SECTIO VIII.

## DE VOTO CONTINENTIAE *sacris Ordinibus annexo.*

32 
St ne votum continentiæ sacris ordinibus annexum.

*Resp.* Qui sacris ordinibus initiantur, obligantur omnes ad continentiam seruãdam, ex voto, quod Ecclesia suo præcepto annexuit ordinibus sacris: & si enim illi, cùm ordinantur, voce non voueant, facto tamẽ, & opere per ipsã sacrorum ordinum susceptionem castitatẽ profitentur. Probatur, Nam D. Gregor. l. 1. Epist. 42. & refertur 1. dist. 28. sic ait, *Nullum facere Diaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit.* expressè scilicet, vel tacitè, & c. Diaconi eadẽ dist. sic dicitur. *Quicunque sanè tacuerunt, & susceperunt manus impositionem, professi continentiam.* Idem colligitur ex c. cum olim de Clericis cõiugatis, & Trid. sess. 24. can. 9. Et meritò sanè id ita statutum est, ob actus scilicet coniugalis

cum ſacro ordine indecentiam, qui ſi miniſtris Eccleſiæ permitteretur, eos quoque non mediocriter ab officio ſuo rectè peragendo reuocaret.

SI quis ſciret quidem ſe Ordinē ſacrum recipere, ſed ignoraret continentiæ votum ei annexum, teneretur-ne continere. 33

Reſp. Teneretur, ſicut & officium recitare, cæteraſque ſtatus ſui leges obſeruare; ea enim eſt lex cœlibatus, vt conſtat ex vſu Eccleſiæ, teneretur, inquā, idque ex voto; ſecus, ſi ignoraret ſe ordinē ſacrū recipere.

SI quis ſuſcipiens ſacros ordines haberet expreſſam intentionem non obligādi ſe voto ad continentiā, teneretur-ne cōtinere. 34

Reſp. Teneretur, non quidem titulo voti, id enim eius naturæ aduerſatur, ſed ex ſola Eccleſiæ conſtitutione, quæ ōnes ſpōte promotos ad ſacros ordines, velint nolint, ad id obligat: peccaret item mortaliter, qui in promotione ſua ita ſe gereret, quia in re graui faceret cōtra ſtatutum Eccleſiæ.

SI quis verè promoueri vellet ad ſacros ordines, inualidè tamen ordinaretur, ob aliquem eſſentialem defectum, teneretur- 35

ne ad continentiam.

*Resp* Non teneretur, quia suscipiens ordinem sacrum non emittit per se, & principaliter votum castitatis, sed accessoriè, & in consequentiam status, cùm igitur principale non subsistat, nec subsistere potest, quod est secundarium, & per accidens ei annexum.

36 SI infans ordinaretur ante rationis vsum, teneretur-ne postea continere.

*Resp.* Non teneretur vllo modo; sed ordinato, vbi adoleuisset, danda esset optio, vellet-ne in ordine permanere, an resilire, quia non habuit in ordinatione proprium quendam actum, quo voueret, aut propositum sibi ab Ecclesia votum amplecteretur, quod necessarium est ad voti obligationem subeundam.

37 ASstringitur-ne ad cœlibatum, qui metu iniusto, eoque cadente in constante virum ordinatur.

*Resp.* Non astringitur, quia talis ex voto tantùm obligari potest, quod emittit in ordinatione, at tale votum metu extortũ irritum est c. 1. & 6. de his quæ vi &c.



# CAPVT IX.

## *DE MATRIMONIO.*

## SECTIO I.

## *DE MATRIMONII nominibus, natura, & essentia.*



VÆ sunt huius Sacraměti 1.
appellationes.

*Resp.* Hoc Sacramentũ 1. *Matrimonium* dicitur, eo quòd in illo, vel per illud fœmina matris munus obeat. 2. dicitur *Coniugium*, à vinculo illo, quo mutò inter se vir, & mulier coniunguntur, vel quia idem onus Matrimonij, quasi iugum quoddam vnà sustinent. 3. dicitur *Nuptiæ*, quòd olim virgo, cùm viro per Matrimonij tradebatur, præ pudore caput

obnuberet.

2 IN quo posita est ratio, & essentia Matrimonij.

Nota varia considerari posse in Matrimonio. 1. est contractus, seu actus contrahendi, qui aliud nihil est quàm mutuus cõiugum consensus; per verba de præsenti expressus, quibus vir mulieri dicit, *Accipio te in meam*, mulier autẽ viro, *Accipio te in meum*, vel aliquid æquiualens. 2. est coniunctio, seu vinculum ortum inter vtrumque cõiugem ex illo contractu, estque obligatio mutua coniugum ad actus coniugales, & mutuam vitæ societatem. 3. est potestas, quam etiam ex tali contractu coniuges acquirunt ad actus coniugales, aliaque Matrimonij officia. 4. est vsus talis potestatis. Denique est ratio Sacramenti, de qua postea.

Quæritur igitur in quonam ex illis quatuor posita sit essentia Matrimonij.

*Resp.* Matrimonium primò, & per se consistit in illa obligatione habituali, seu vinculo, quod intercedit inter virum, ac fœminam, ad redendũ debitũ, & alia munia matrimonij pariter exercẽda; definitur enĩ *Maritalis coniunctio viri, ac mulieris inter legitimas personas, indiuiduam vitæ consuetudinem retinẽs.*

Consistit tamen etiam aliquo modo in illo contractu actuali, qui fit per verba de præsenti à coniugibus, cùm ineunt Matrimoniũ: quia licet vinculũ illud habituale ortũ ex consensu actuali dici possit Matrimoniũ habituale, nihil tamẽ est causę, cur cõtract⁹ dici non possit Matrimoniũ actuale: Adde quod datur Sacramentum aliquod Matrimonij, hoc autem in contractu positum est, ergo contractus ille aliquo modo Matrimonium dici potest.

Estne Matrimonium ita de iure naturæ, vt eidem fornicatio repugnet. 3

*Resp.* Est. Ratio est, quia finis Matrimonij, quæ est procreatio liberorum, eorum educatio, & institutio obtineri nequit sine matrimonio: fornicatio verò, seu vagus concubitus tum susceptioni liberorum, tum eorum educationi, & institutioni obest quamplurimùm, secumque infinita propemodum trahit incommoda.

Repugnatne polygamia, seu multiplicitas vxorum rationi Matrimonij. 4

*Resp.* Polygamia non repugnat naturæ Matrimonij absolutè, quia non est contra

præcipuum eius finem, qui est generatio, & educatio prolis: est tamen aliquo modo contra finem eius secundarium, qui in pace, & tranquillitate familiæ positus est: Quapropter in ea re à Deo dispensatum est in veteri lege, cum patriarchis aliquibus. In lege tamen Euangelica polygamia omnibus omnino interdicitur. Patet ex c. 19. Math & Trid. sess. 24. can. 2. Ratio verò est, quia Matrimonium in lege noua est Sacramentum à Christo institutum, ad repræsentandam vnionem Christi cum Ecclesia, Christus autem vnus tantùm est, Ecclesia vna, ergo iure diuino vir per Matrimonium debet vniri cum vna tantùm vxore.





# SECTIO II.

## *DE MATRIMONII AVtore, obligatione, & fine.*

A Quo institutũ est Matrimoniũ. 5
*Resp.* Matrimonium vt est contractus retinens indiuiduam vitæ consuetudinem, & dans coniugibus potestatem in mutua corpora, institutũ est à Deo Gen. 2. cùm creato vtroque sexu inspirauit Adæ hæc verba. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*: quæ verba confirmauit Christus in lege Euangelica Math. 19. cùm dixit, *Quos ergo Deus coniunxit homo non separet.*

EStne Matrimonium sub præcepto. 6
*Resp.* Est præceptum aliquod Matrimonij, non tantũ naturale; sed etiã diuinũ positiuũ. De naturali patet; ratio eni natu-

ralis dictat actum Matrimonij necessarium esse toti communitati, ad propagationem, & multitudinem hominum conseruandã. De diuino positiuo confirmatur ex eo loco Genes. *Crescite, & multiplicamini* Porrò prȩceptum illud naturale etiam nunc obligat in lege Euangelica, quæ præcepta naturalia non reuocauit; obligat, inquam, nõ quidem omnes, & singulos, sed totam cõmunitatem, idque in extrema necessitate.

7 IN quem finem institutum est Matrimonium.

R*esp.* Finis Matrimonij triplex est. 1. est, vt procreentur liberi, procreati educentur, educati instituantur; & intuitu hui⁹ finis dici solet matrimoniũ institutũ in officium naturæ. 2. est in remedium concupiscentiæ, quò spectat illud Pauli, 1. ad Cor. 7. *Propter fornicationem vnusquisque habeat suam vxorem*: vnde quod institutũ erat in officium naturæ, lapso homine per peccatum, perstitit in remedium concupiscentiæ. 3. est mutuum subsidium, quo sibi vir, & mulier prouident in necessariis.



# SECTIO III.

## *DE MATRIMONIO VT Sacramentum est, eiusque institutione, & insolubilitate.*



EStne Matrimonium non tantùm contractus quidam ciuilis institutus ad fines supradictos, sed etiam signum externũ gratiæ, seu Sacramentum. 8

Resp. Fide certum est Matrimoniũ esse verè, & propriè legis nouæ Sacramentum: Trid. sess. 24. can. 1. probatur ex c. 5. ad Ephesios, *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* quæ verba debent intelligi de Matrimonio: quare cùm de eodem subiiciat Apostolus. *Sacramentum hoc hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, quasi diceret Sacramentum hoc tendit ad significandã coniunctionẽ Christi cum Ecclesia, sequitur ex mente Apo-

ſtoli Matrimonium eſſe verum Sacramentum. Quod non ita debet intelligi, quaſi Matrimonium ex eo præciſè ſit Sacramentum, quòd immediatè ſignificet vnionem Christi cum Eccleſia, ſed quòd contractus Matrimonij ſignificet immediatè mutuam charitatem inter cõiuges, & hac mediãte, charitatem inter Chriſtum, & Eccleſiam.

9 QVo tempore fuit inſtitutum Matrimonij Sacramentum.

*Reſp.* Videtur inſtitutũ. Math. 19. His verbis, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, quibus inſtitutionẽ ab initio factam Chriſtus confirmat, eamque inter Chriſtianos ad eſſe Sacramenti eleuat.

10 EStne Matrimonium vinculum indiſſolubile.

*Reſp.* Matrimonium eſt vinculum indiſſolubile vſque ad mortem. Probatur ex c. 7. Epiſtolæ primæ ad Cor. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit*: Ratio verò ſumitur ex fine Matrimonij, de quo ſupra. Dixi, vſque ad mortem; quia contractus iſte morte diſſoluitur; quo euentu ſemper licuit coniugi ſuperſtiti ſecũdò nubere, vt ibidem docet Apoſtolus.

LIcuitne Iudęis antiquitus ex rationabili causa soluere Matrimonium, quoad vinculum. 11

Resp. Licuit, Deo ita dispensante cum illis, vt patet ex Deutero. c. 24. Concessio tamen illa sublata est à Christo, sicut & illa altera de pluralitate vxorum, & Matrimonium reuocatum est ad primæuam suam institutionem.

DIssoluiturne Mattimonium infideliũ, cum alter coniugum ad fidem conuertitur. 12

Resp. Si ambo fidem suscipiant, vel simul, vel vnus post alterum, tantùm abest vt Matrimoniũ dissoluatur, vt potiùs maneat idẽ Matrimoniũ, & de nouo recipiat rationem Sacramenti, si illud confirment per nouum consensum; tali enim Matrimonio nihil deest ad rationem Sacramenti. In tribus tamen casibus habet fidelis ius Matrimonium dissoluendi, siue Matrimonium ratum sit tantùm, siue consummatum. Primus est, quando infidelis non vult cohabitare. 2. quando si vellet cohabitare, non tamen sine iniuria creatoris, quæ est quando blasphemaret, aut religionem despiceret.

3. quando induceret fidelem ad peccatum mortale. Colligitur ex 1. ad Cor. c. 7. vnde patet hoc priuilegium dissoluēs Matrimonium, diuinum esse, & in fauorem fidei.

13 NVllone in casu licet inter fideles Matrimonium dissoluere.

Resp. Matrimonium iam consummatũ nullo in casu dissolui potest, quoad vinculum, etiamsi ambo coniuges consentiant; quia est Sacramentum repræsentās vnionem Christi cum Ecclesia, quæ omnino insolubilis est. Matrimonium tamen ratum ante consummationem solui potest; etiam quoad vinculum, per solemnem professionem alterius coniugum in religione approbata, alio etiam coniuge renitente, qui alius licitè aliud Matrimoniũ inire poterit. Ita Trid. sess. 24. can. 6. & videtur conforme sententiæ Apostoli. 1. Cor. 7. *Si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantùm in Domino*, at qui profitetur religionem moraliter mundo moritur, ergo vt per mortem, sic per hanc professionem solui poterit Matrimonium. Per Pontificē quoque dispensari posse in Matrimonio rato, ex legitima causa, probabilis est nonnullorum

rum Theologorum opinio.

ESt-ne idē sentiendum de voto simplici, seu non solemni, quod de solemni. 14

*Resp.* Non; quia qui tantùm emisit votum, seu professionem simplicem, tantùm promisit se ipsum Deo, non autem realiter exhibuit, qnod si se non exhibuit, manet in alterius coniugis potestate. Qui tamē sic se vouit, licet reddere debitum petenti possit, petere ipse non potest.

LIcet-ne post Matrimonium consūmatum ingredi religionem. 15

*Resp.* Vnus sine altero non potest ingredi, siue alter consenserit, siue non. Possunr verò ambo coniuges ex communi consensu profiteri. Quicquid sit autem de ingressu, vinculum ipsum Matrimonij nūquam disoluitur, nisi per mortem. Excipiuntur tamen 3. casus in quibus potest alter coniugum religionem ingredi altero manente in sæculo. 1. est, cùm alter est iam prouectæ ætatis, itaut sine periculo incontinentiæ possit in sæculo remanere, dummodo perpetuam castitatem voueat, vt habetur in c. Apostolicam. 2. est, cùm alter

coniugũ incidit in hæresim, aut infidelitatẽ notoriam. tũc enim facto autoritate Ecclesiæ diuortio, licebit alteri ingredi religionem, etiam inuito nocente c. mulier de conuersione coniugatorum. 3. casus est crimen adulterij ab altero cõmissum. c. constitutus & c. veniens, eodem titulo.

16 POtest-ne Matrimoniũ dissolui quo ad torum, siue etiam cohabitationem.

*Resp.* Coniuges nisi subsit causa aliqua legitima tenentur vitam ducere coniugalẽ, ad quam cogi potest alter altero petente à iudice, implorato ad id, si opus sit, auxilio brachij sæcularis: Si tamen subsit causa legitima, Matrimoniũ siue consũmatum sit, siue non, disolui potest, quoad torum, siue etiã cohabitationẽ, siue in perpetuum, siue ad tempus tantùm quæ solutio diuortium dicitur, quòd coniuges manente vinculo à se mutuò diuertant.


17 QVibus de causis Matrimonium quoad torum dissolui potest.

*Resp.* 1. Separatio fieri potest, etiam quoad habitationem perpetuò, ob fornicationem tam carnalem, quàm spiritualem. De carnali probatur ex autoritate Christi

Domini. Math. 19. *Qui dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur,* & ratio est, quia si id non liceret, Matrimonium esset onus intolerabile. Excipiẽdi tamen sũt aliqui casus, propter quos non potest fieri diuortium. 1. est Ignorantia adulterantis. 2. quando fornicatio est per vim extorta. 3. quando per fraudem deceptus fuit coniux. 4. quando vterque fornicatus est, quia cõpensatur mutua iniuria. 5. quãdo alter coniux cõsensit adulterio alterius. 6. quando coniux innocens reconciliatur alteri; quod fit vel expresse remittendo iniuriam, vel tacitè, petendo, & reddendo debitum. &c. De spirituali fornicatione probatur ex c. Quanto de diuortiis, & ratio huius est, quia innocens habitaret cum nocente, non sine periculo salutis. 2. separatio fieri potest ob nimiam mariti sæuitiam. 3. si alter esset veneficus. 4. si esset valde furiosus. 5. si graui, & contagioso morbo laboraret. 6. si alterum pertraheret ad peccatum. Demum ob ea omnia crimina diuortiũ fieri potest, quæ tendunt ad perniciem spiritualem, vel corporalem innocẽtis. Intellige, quandiu non corriguntur, si enim corrigãtur, iterum coniungi debent.

18 EST-ne diuortium faciendum publica autoritate Ecclesiæ.

*Resp.* Poteſt innocens diuertere propria autoritate, quo ad torum. Idem facere poteſt, quo ad habitationem, ſi Matrimonium ſit occultum: Si verò ſit celebratum in facie Eccleſiæ, interuenire debet eiuſdem Eccleſiæ autoritas, alioquin ſequeretur ſcandalum: Niſi adulterium ſit eiuſmodi vt omnino ſit notorium, tunc enim innocens poſſet diuertere propria autoritate, quia in eo ceſſaret ſcandalum, fauet conceſſio Chriſti facta Math. 19.



## SECTIO IV.

### *DE MATERIA, FORMA, & fine Matrimonij, aliiſq; nonnullis eò ſpectantibus.*

19 QVænam eſt materia, & forma Sacramenti Matrimonij.

*Resp.* In Matrimonio materia circa quam ſunt corpora cõtrahentium, ſicut materia circa quam pœ

nitentiæ sunt peccata pœnitentis. Materia verò, ex qua intrinsecè componitur hoc Sacramentum, est traditio ipsa corporum affectu maritali facta, & signo externo expressa. Forma verò est acceptatio eorundem, signo itē externo declarata; idq; siue traditiones & acceptationes illæ exprimātur verbis, siue nutibus, siue scripto, siue sola externa taciturnitate, siue eodem signo vtrūque simul declaretur, siue diuersis. Ratio verò est, quia in omni contractu illud habet rationem materiæ, per quod, cùm pertineat essentialiter ad contractum, talis contractus veluti inchoatur: Illud verò rationem formæ, per quod completur, & perficitur: sed huiusmodi sunt in Matrimonio traditio, & acceptatio corporum; per traditionem enim veluti inchoatur contractus Matrimonij; per acceptationē verò finitur, cōpletur, & perficitur; ergo traditio ad materiā, acceptatio ad formā pertinet.

POtest-ne quis indifferenter vti verbis, nutibus, scripto &c. 20

*Resp.* Ex præcepto Ecclesiæ necessaria sunt verba, quando adhiberi possunt: Non sunt tamen de essentia Sacramenti, ad quā soli nutus sufficiunt.

21 COpula carnalis pertinet-ne ad essentiam Sacramenti.

*Resp.* Copula carnalis nec pertinet ad essentiam Matrimonij, nec ad eius integritatem intrinsecam; quia vt dicitur c. Matrimonium. 27. 4. 2. *Matrimonium non coitus facit, sed voluntas.* vnde inter B. Virginem, & Iosephum verũ fuit Matrimonium, à quibus Matrimonij actus longissimè absuit. Ordinatur tamen Matrimonium ad copulam tanquam ad suum finem, ratione cuius vocatur consummatum.

22 IN Matrimonio reperiuntur-ne hæc tria, Sacramẽtum tantùm, res Sacramẽti tantùm, & Sacramentũ, & res Sacramẽti simul.

*Resp.* Reperiuntur, Nam Sacramentum tantùm sunt verba vtriusque coniugis: res Sacramenti tantùm est gratia Sacramentalis: res & Sacramentum simul est vinculum habituale.

23 MAtrimonium fidelium inter absentes per procuratores contractũ, est-ne Sacramentum.

*Resp.* Est verum, & proprium Sacramẽtum. Ratio est, quia ex Florent, & Trid,


Matrimoniũ Christianorũ est verum Sacramentũ, sed tale Matrimoniũ est verum Matrimoniũ, ergo & verum Sacramentum.

MAtrimonium contractum inter infideles est- ne Sacramentum. 24

Resp Etsi tale Matrimonium sit verum Matrimonium in ratione contractus naturalis, non est tamen verum Sacramentum. Commune enim est axioma Theologorum Baptismũ esse ianuã ad omnia Sacraměta.

ESt ne consensus cõiugum ita Matrimonio necessarius, vt sine eo nullum esse queat Matrimonium. 25

Resp. Si spectemus Matrimonium, vt est contractus quidam, cõstare non potest, sine mutuo coniugum consensu. Ratio est, quia talis cõsensus ei est essentialis. Si verò spectemus illud, vt est vinculum quoddam, potest Deus validè copulare coniuges sine eorum consensu: quia vinculũ illud nihil aliud est, quàm mutuum corporum dominium, at Deus multò maius habet dominiũ in corpora coniugum, quàm coniuges ipsi; quare si coniuges possunt sibi inuicem tradere dominium illorum per legitimũ Matrimonium, multò magis id poterit Deus. Talis verò potestas non cõuenit Ecclesiæ.



## SECTIO V.

### DE LIBERTATE MAtrimonij.



26 COntractus Matrimonij debetne ita esse liber, vt si fiat ex metu, Matrimonium sit irritum.

Resp. Consensus in Matrimonium debet esse consensus liber, & ex certa ratione profectus; si enim talis nõ sit, contractus Matrimonij non erit actus humanus, & consequenter non erit capax ad inducẽdam vllam obligationem moralem; debet inquam, ita esse liber, vt si metus grauis, siue cadens in constantem virum iniustè inferatur ab extrinseco ad eliciendum hunc consensum, reddat illum omnino inualidum. Ratio est, quia cùm contractus Matrimonij sit nobilissim⁹, quippe quo cõiuges sibi mutuã in corpora sua, & se ipsos, non ad tẽpus aliquod, sed quãdiu viuẽt, trãdãt potestatẽ in ordine ad prolẽ suscipiẽdã,

conueniens fuit poſito hoc metu eum irritari, tum ad maiorem Matrimonij libertatem, tum ad reprimendam eorum audaciam, qui alioquin ex tali metu permultis ad ineunda talia Matrimonia vim inferrent.

QVis metus hoc loco dicitur cadere in constantem virum, & irritare Matrimonium. 27

*Reſp.* Ille, qui eiuſdem cum contrahente conditionis homines ſolet communiter grauiter concutere, & permouere, vt aliquid aggrediantur magni momenti, ſibi alioquin permoleſtū, & quod aliàs non facerent: cuiuſmodi cenſetur eſſe metus mortis, grauis cruciatus, ſtupri in virgine, ſeruitutis, diuturni exilij, infamiæ grauis, amiſſionis omnium bonorum, &c.

MEtus reuerentialis impeditne Matrimonium. 28

*Reſp.* Diſtinguendo; ſi enim metus ſit verè reuerentialis, non impedit Matrimonij validitatem; ſi verò cōiunctas habeat graues minas, patris ſcilicet moroſi, & truculenti, quique exequi ſolet, quod minatur, ſecus ſentiendum, quia non diſcre-

pat à timore graui iniustè illato à principio extrinseco.

29 QVi metu graui perculsus Matrimoniũ iniit, potestne illud consũmare.

*Resp* Non potest, quòd si consummaret, scortaretur, quia cognoscere non suam malum est, nec vlla ex causa licet.



## SECTIO VI.

## *DE PRÆSENTI CONsensu in Matrimonium.*

30 COnsensus in Matrimoniũ debetne esse de præsenti.

*Resp.* Debet, quia Matrimonium est contractus, per quem re ipsa coniuges dant sibi ius mutuum in corpora; consensus autem de futuro, non est traditio, sed traditionis promissio. Porro censetur consensus esse de præsenti, quando contractus fit sub conditione præterita, vel præsenti, quæ

de facto subest.

COnsensus de præsenti cum conditione de futuro, quem qui præbet, vult tantùm obtinere effectum, conditione posita, estne validus in foro conscientiæ, vt si quis dicat, *Accipio te in meam, si sis futura hæres.* 31

*Resp.* Non est, quia talis consensus non est actualis traditio corporum, sed æquiualet promissioni.

COnsensus ille conditionalis per verba de præsenti cum conditione de futuro, facitne Matrimonium, saltem statim atque apponitur conditio, vel estne necessarius nouus consensus de præsenti. 32

*Resp.* Probabilius videtur requiri nouum consensum, quia in Matrimonio necessariò requiritur consensus de præsenti, hîc autem non reperitur talis consensus, nisi denuo renouetur, & colligitur ex c. super eo de conditionibus appositis, vbi dicit Gregor. 9. *adueniente conditione eum, qui illam apposuit, cogendum esse ad Matrimonium contrahendum*, ergo non erat antea contractum.

33 QVid ſentiendum de conſenſu, qui fit per verba de præſenti, cum conditione de futuro, in quo conditio appoſita eſt vel neceſſaria, vel impoſſibilis, vel turpis.

*Reſp.* In foro externo conditiones neceſſariæ præſumuntur per iocum adiectæ, & ſic non ſuſpendunt conſenſum: impoſſibiles, & turpes habētur pro non adiectis. Ita Greg. 9. in c. finali, de conditionibus appoſitis. Si tamen conſtaret ſic contrahentem noluiſſe ſe aliter obligare, niſi conditione impleta, non modò in foro conſcientiæ, ſed etiam in externo nullum eſſet Matrimonium.

34 QVid ſi conditio turpis repugnet fini Matrimonij.

*Reſp.* Talis conſenſus moraliter ordinariè inualidus eſſet, vt ſi quis diceret, contraho tecum, ſi pro queſtu alteri adulterandam te tradas. Ita idem Greg. ſupra.





# SECTIO VII.

## *DE MATRIMONIO clandeſtino, Matrimonij loco, denuntiationibus. parentum conſenſu, &c.*



Atrimonium contractum per verba de præſenti, ſed clādeſtinè, hoc eſt, ſine parocho, & duobus, vel tribus teſtibus celebratum, eſtne verum Matrimonium. 35

Reſp. Tale Matrimonium ſine legitima cauſa ſic contractum, ſemper fuit peccatum mortale; *Semper enim Eccleſia*, vt ait Trid. *deteſtata eſt huiuſmodi Matrimonia*; quod & ſi ita ſit, validum tamen fuit eiuſmodi Matrimonium ante concilium Trid, & etiam nunc validum eſt, vbi non præterierunt 30. dies à promulgatione talis ſtatuti, ex eodem Concil. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. Vbi verò receptum eſt, & promulgatum

Trid. Matrimonia omnia clandestina irrita sunt, vt patet ex loco mox allegato, in quo omnia Matrimonia irritat, quæ facta non sunt coram parocho, vel alio Sacerdote de eius licentia, & duobus, vel tribus testibus. quare quicquid horum defuerit, Matrimonium fiet irritum.

36 QVando sponsus, & sponsa sunt diuersæ parochiæ, coram quo parocho tenentur contrahere.

*Resp.* Possunt cõtrahere cum alterutro, sponsi scilicet, aut sponsæ; est enim impertinens, vter pastor assistat, ex declaratione Concilij.

37 SI parochus assistat suorum parochianorum Matrimonio extra suam parochiam, sine licentia parochi ipsius loci, validene assistet.

*Resp.* Validè assistet, quia hoc nullum tribunal, aut strepitum iudicialem, aut solemnitatem requirit. Imò ex rationabili causa, & cessante scandalo, id licitè facere potest, quia nullibi prohibetur.

38 DEnũtiationes, quæ fieri præcipiũtur à Trid. suntne ita validę, vt sine illis ma-

trimonium validum non ſit.

*Reſp.* Nõ, imò ex legitima cauſa omitti poſſunt à parocho, vt ſi probabilis ſubſit ſuſpicio Matrimonium malitioſè impediendũ, vel ſi aliqui publicè putentur cõiuges, qui tamen vixerũt in cõcubinatu. &c.

Eſtne neceſſe, vt parochus præſens Matrimonio ſit Sacerdos. 39

*Reſp.* Non; Concilium enim nihil aliud requirit, quàm vt ſit parochus. Aliud eſt de delegato; hunc enim vult eſſe Sacerdotem. Porro nihil refert ad matrimonij validitatem, ſiue parochus, vel Sacerdos ſit irregularis, aut cenſura aliqua irretitus, ſiue non.

Qvis poteſt in Matrimonio clandeſtino diſpenſare. 40

*Reſp.* Solus Papa.

Qvas pœnas incurrunt clandeſtinè cõtrahentes. 41

*Reſp.* Prętet quàm quòd peccant mortaliter. 1. Priuantur priuilegiis matrimonij publicè cõtracti. 2. Eccleſia ſẽper præſumit pro matrimonio in facie eccleſ. cõtracto cõtra clandeſtinũ, niſi fortiſſimè probetur.


3 Debent ab ordinario grauiter pœna arbitraria puniri c. vltimo de clandest. despons. Quæ vltima pœna etiam ad parochũ, qui ſine teſtibus, & ad teſtes, qui ſine parocho huiuſmodi contractui interfuerint, extenditur à Trid. ſeſſ. 24. c. 1.

42 MAtrimonium à filijs ſine conſenſu parentum contractum eſtne validũ.

*Reſp.* Etſi culpâ non vacent filij, qui ea ineunt Matrimonia, quæ honeſtis, & grauibus de cauſis diſplicent parentibus; huiuſmodi tamen Matrimonia, modò cætera non deſint, valida ſunt. 1. pars probatur; interdum enim graues ſubeſſe poſſunt cauſæ, ob quas mallent parentes filios ſuos his potiùs, quam illis nubere, vt ob ſplendorem familiæ augendum, ob cõcordiæ bonum, ob præconcepta animo eorũ commoda, quibus maximè proſpectum volunt; filios autem in re tanti momenti pãrẽtum imperium detrectare, cùm commodè poſſent iis morem gerere, non poteſt non eſſe peccatum graue. 2. verò probatur ex Trid. ſeſſ. 24. de reform. & quia expedit, vt Matrimonium ſit liberrimum, ab eoque omnis coactio arceatur, ne ſcilicet inde grauia odia, rixæ, & diſſidia oriantur

inter

inter eos, qui tenentur ad indiuiduam vitæ societatem.



# SECTIO VIII.

## DE MINISTRO SACRAMENTI matrimonij, eiusque effectu, & vsu.

QVis est minister Sacraméti matrimonij. 43

*Resp.* Propriè loquendo soli coniuges suut ministri huius Sacramenti, sacerdos verò impropriè tantùm. Ratio est, quia ille est minister Sacramenti, à quo fit Sacramentum, in matrimonio autem ab eo fit Sacramentum, à quo fit contractus, hic autem fit à solis coniugibus, ergo soli coniuges sunt eius ministri. Quare sacerdos adest solùm tanquam publicus Ecclesiæ testis, qui & nuptiis benedicit. Vnde sequitur eum non peccare mortaliter assistentem matrimonio in peccato mortali, quia nõ est minister sacraméti, sed neq; cẽ-

trahentes ipsi peccant mortaliter sibi illud in malo statu ministrantes, quia non sunt ad hunc effectum singulariter consecrati: peccant tamen mortaliter, quatenus Sacramentum indignè suscipiunt.

44 QVis est effectus matrimonii.

*Resp.* Si matrimonium spectetur vt est contractus, eius effectus sunt. 1. mutua coniunctio indissolubilis, quo ad vinculum, de qua supra. 2. communicatio bonorum. 3. vsus mutuus corporum, mutuaque obligatio reddendi debitum. Si verò spectetur, vt est Sacramentum. 1. eius effectus est gratia spiritalis communis omnibus Sacramentis, quam recipiunt contrahentes, si sint ad eam dispositi. 2. est gratia quædam propria matrimonio, auxilia nimirum ad familiam ritè gubernandam, 3. est benedictio filiorũ, quæ prouenit tum ex Sacramẽto, tum ex sacerdote ipso.

45 QVa ratione actus matrimonialis licitus est.

*Resp.* Si fiat ob amorem prolis, aut ex amore iustitiæ, nimirum vt coniugi debitũ reddatur, erit actus bonus, & licitus, alio-

quia matrimonium, quod ad eos fines ordinatur, malum esset.

LIcet ne coniugi petere debitum, vt incontinentiæ periculum in seipso vitet. 46

Resp. Licet, est enim institutum matrimonium in remedium concupiscentiæ, vt colligitur ex Apostolo 1 ad cor. 7. *propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat*, Immò idipsum licet, ad vitandum in cõiuge periculum incontinẽtiæ, sic enim vtetur re sua, non mala, ad finem honestum.

QVid si coniuges actum istum referant ad explendam duntaxat libidinem. 47

Resp. Non possunt hunc finem sibi præstituere sine peccato, saltem veniali, quia delectatio non est finis honestus, vnde actus ad eam relatus est inordinatus.

QVid si alter coniux petat eum propter solam libidinem, licebitne alteri reddere.

Resp. Licebit, eritque actus bonus ex parte ei⁹, qui reddit: simile quid est in eo, 48
qui reddit debitas pecunias creditori suo,

eas exigenti, vt prodigè expendat.


49 TEnetur-ne alter alteri debitum reddere, & quomodo.

Resp. Vterque tenetur reddere idq; ex iustitia, quoties debitè petit, secundū illud Apostoli 1. Cor. 7. *Vxori vir debitū reddat, similiter autem & vxor viro, mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.*

50 NVm interdum excusantur coniuges à reddendo debito.

Resp. Excusantur multimodè. 1. ob periculum sanitatis, 2. propter voluntatem ingrediendi religionem ante matrimonij consummationem spatio duorum mensiū, ex c. ex publico de conuersione coniugatorum. 3. ob impotentiam coeundi, siue ea ex culpa proueniat, siue non. 4. ob emissā, professionem in religione approbata ante consummationem, aut votum castitatis, cū coniuge sciente, & volente in sæculo emissum, quandiu non est in eo voto dispensatum. 5. ob periculum aborsus. 6. ob eam omnem causam propter quam matrimonium quo ad habitationem dissolui potest. 7. ob reuerentiam loci sacri, solet enim

mortaliter peccare qui debitum in loco ſacro petit, aut reddit, ob irreuerentiam ſacrilegam, niſi grauis neceſſitas excuſet. 8. ob certitudinem de inualiditate matrimonij, quamuis probari nequeat; qui enim ita certꝰ eſt, nullo modo reddere poteſt debitū, quocunque etiam periculo propoſito, quia fornicari abſoluté malum eſt, ac proinde ſemper illicitum.



## SECTIO IX.

### *De Impedimentis matrimonij.*

POteſtne Eccleſia ſua lege impedimenta Matrimonij cōſtituere.

*Reſp.* Poteſt. Eſt de fide, ex Trid. ſeſſ. 24. can. 3. & ratio eſt, quia matrimonium, præterquam quod eſt Sacramentum, eſt etiam contractus ciuilis, at eccleſia leges ſtatuere poteſt, in iis quæ ſpectant ad huiuſmodi contractus, ergo & in iis, quæ ſpectant ad matrimonium. Vnde eccleſia

Christianis principibus hãc potestatem circa matrimonia fidelium eripuit, occasione Sacramenti, voluitque Sacramentorũ causas ab ecclesiastica potestate õnino pẽdere.

52 Solusne Papa, & consilium vniuersale possunt statuere hæc impedimenta, an verò etiam Episcopi.

Resp. Hoc solùm pertinet ad Papam, & conciliũ generale, quia dum hoc fit vtitur ecclesia potestate illa indirecta, quam habet circa res temporales in ordine ad bonũ spirituale fidelium, potestas autem illa cõcessa est toti ecclesiæ, eiusque capiti, Romano pontifici. Vnde sequitur posse Papam dispensare in omni impedimẽto matrimonii, quod est iuris positiui; Quiuis enim prĩceps dispensare potest in suis legibus; secus de iis, quæ sũt iuris naturalis, aut diuini.

53 SI matrimonium contrahatur à coniugibus, quorum alter, vel vterque nesciat impedimentum dirimens, impedimento illo cessante, vi dispensationis pontificis, sufficitne ad validandum matrimonium, eodẽ modo perseuerare quo priùs.

*Resp.* Non sufficit, talis enim dispẽ-

ſatio non facit vt matrimonium antiquum ſit validum, ſed tollit tantùm futuri impedimentum; vnde requiritur vlteriùs nouus coniugum conſenſus, ſiue formalis ſit, ſiue virtualis.

QVot ſunt impedimenta matrimonij in generе. 54

*Reſp.* Duplicia ſunt, quædam maiora dicuntur, alia minora. Maiora ſunt, quæ ita impediunt matrimonium contrahendũ, vt etiã dirimant contractum id eſt, reddant omnino nullum, ſi quis cum illis attentet contrahere. Minora ſunt, quæ impediunt quidem contrahendum, non tamen dirimunt contractum; id eſt, quæ efficiunt, vt matrimonium illicitè quidem contrahatur, non tamen inualidé. Rurſus maiora numero ſunt 12. quibus Trid. alia duo adiecit: omnia autẽ his verſibus continẽtur.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas.*
*Si ſis affinis, ſi forté coire nequibis.*
*Coniungumque latens, aut raptus tẽpore in*



# SECTIO X.

## DE IMPEDIMENTIS maioribus.

55 QVid intelligitur per errorem.

*Resp.* Intelligitur deceptio circa personam ducendam in matrimoniũ, quod fit, cùm non illa est, quæ esse putatur, sed alia quædam. Talis autem error meritò irritat matrimonium, quia tollit omnino consensum; qui enim cum tali errore consentit, non consentit in personam præsentem, sed in aliam, quam habet in animo.

56 QVid dicendũ de errore qualitatis, vel fortunæ, puta si quis ducat in vxorem eam, quam putat diuitem, nobilem &c. cùm reuera nec diues sit, nec nobilis.

*Resp.* Error qualitatis non irritat matrimonium, nisi inuoluat errorem personæ,

quod fit, cum determinat intellectum cōtrahentis, vt certam, ac omnino determinatam personam concipiat, cum qua hîc, & nunc intendit contrahere, eamque diuersam ab ea, cum qua externum contractum celebrat.

QVid intelligitur nomine conditionis. 57
*Resp.* Sumitur hîc conditio, pro statu seruorum legalium, qui mancipia dicuntur, quos Dominus potest vendere, ac quibusuis operibus occupare. Talis igitur conditionis impedimentum iure Ecclesiastico irritat Matrimonium, cùm scilicet liber cum serua, vel libera cum seruo, ignari conditionis alterius, contrahunt, ita quòd si eam sciuissent, non contraxissent, ex c. proposuit & c. finali de cōiugio seruorum.

QVodnam votum dirimit Matrimonium. 58

*Resp.* Votum illud, quod est professio solemnis in religione approbata, siue expressè, siue tacitè fiat, impedit Matrimonium contrahendū, & dirimit contractū, patet ex c.consuluit, &c. insinuante extra,

qui Clerici, vel vouentes. Hunc eundem effectum operantur tria illa vota simplicia religiosorum societatis Iesu, ex bulla quadam Gregorij xiij.

59 QVotuplex est cognatio.

*Resp.* Triplex, nimirũ Carnalis, quæ dicitur consanguinitas, Spiritualis, & Legalis.

60 QVid est consanguinitas.

*Resp.* *Est cognatio, seu vinculũ, quod oritur inter illas personas, quæ ab eodem stipite, carnali propagatione descendunt.*

61 QVid est gradus consanguinitatis.

*Resp.* *Est determinata propinquitas personarum inter se*, vel quod in idem recidit, *Est habitudo, & mensura distantiæ*: sic pater dicitur esse in primo gradu cum filio, & in secundo cum nepote.

62 QVid est linea, in qua collocantur gradus consanguinitatis.

*Resp.* *Est ordinata collectio personarum, quæ sanguine coniunguntur* v. c. Patris, Filij, nepo-

tis &c. Est autem linea duplex, recta scilicet, & obliqua, quæ etiam collateralis; & transuersa dicitur. Linea recta est, quæ est inter eos, qui à se inuicem descendunt, vt inter patrem, filium, nepotem, pronepotem, quæ etiam dicitur linea ascendentiũ, & descendentium, secundùm varium modum computandi. Linea verò obliqua est inter eos, qui non à se inuicem, sed ab vno tertio descendunt. v. c. inter duos fratres, duas sorores &c. quæ rursus duplex est, æqualis, & inæqualis. Æqualis est, quando duæ personæ distant æquali gradu à communi stipite v. c. duo fratres respectu patris, & aui. inæqualis verò, quando alter altero longiùs distat, vt Filius vnus dictorum fratrum respectu patrui sui, remotior enim est ab auo communi stipite, quàm patruus.

QVomodo dignoscitur in quo gradu 63
consanguinitatis duæ personæ sint inter se.

Resp. Tres ad id computandum obseruandæ sunt regulæ. 1. communis est iuri ciuili cum canonico, pertinetque ad lineã rectã, & est talis. Quot sũt personę inter se, tot sunt gradus, vna persona dempta; sic

Pater, & Filius sunt in 1. gradu, quia duæ tantùm sunt personę, quarũ altera dempta, manet vna: eadem ratione auus, & nepos sunt in 2. gradu, quia tres sunt personæ, quarum vna dempta manent duæ. 2. Vsurpatur à Canonistis, pertinetque ad lineam transuersam inæqualem, nimirum hæc. In quo gradu remotior persona distat à communi stipite in eodem gradu sunt illæ personæ inter se v. c. Filius vnius fratris, cum auo est in 2. gradu, at fratris alterius nepos cum eodem illo suo proauo est in 3. sunt igitur filius vnius fratris, & nepos alterius inter se in 3. Pro linea vero transuersa æquali, sit hæc 3. regula. Quo gradu distat quælibet earum persona à communi stipite, eodem gradu distant inter se: vnde duo fratres vnius patris sunt in 1. gradu, quia per primam regulam vterque est cum patre in 1. gradu. Ius ciuile aliam seruat cõputationem; computat enim simul gradus vtriusque distantis; quare secundùm illud duo fratres distãt inter se duobus gradibus, duo verò patrueles 4. gradibus.

64 QVinam gradus consanguinitatis sunt prohibiti iure Ecclesiastico.

Resp. Et si olim iure Ecclesiastico cõ-

ſanguinitas erat prohibita, vſque ad ſeptimum gradum, hodie tamen tantùm prohibita eſt, & irritat Matrimonium vſque ad quartum gradum incluſiuè. Patet ex c. nō debet de conſanguinitate.

QVid eſt cognatio ſpiritualis, & inter quos contrahitur. 65

Reſp. *Eſt vinculum quoddam, quod naſcitur ex Sacramento Baptiſmi, vel Confirmationis.* Poſt Concilium autem Trid. contrahitur tantùm cognatio ſpiritualis Matrimoniū iure Eccleſiaſtico dirimens inter baptizantē, vel confirmantem, & baptizati, aut confirmati patrinos ex vna parte, & baptizatū, aut cōfirmatū eiuſque patrē, & matrem ex altera parte. Ita Trid. ſeſſ. 24 c. 2. de reform. Matrimonij. Iam ergo nulla oritur affinitas inter baptizatum & filium baptizantis, ſeu patrinorum: nulla item inter baptizatum, & parentes carnales eiuſdem ex vna parte, & ex altera inter vxores patrinorum, & baptizantis; nulla denique inter baptizantem, & patrinos.

COntracto iam Matrimonio cognatio ſuperueniens impeditne illud. 66

Reſp. Impedit quoad petitionem de-

biti. Colligitur ex c. Si vir, de cognatione spirituali. & c. ad limina 30. q. 1. Intellige extra casum necessitatis, nam in tali casu, contracto iam Matrimonio, non impedit petitionem debti.

67 COgnatio spiritualis impeditne Matrimonium contrahendum, quando fit tempore necessitatis.

*Resp.* Impedit, ius enim solùm excipit Baptizantem filium post Matrimonium iam validè contractum.

68 IN quo actu contrahit patrinus hoc impedimentum.

*Resp.* Non contrahit, quòd deferat puerum ad templum, vel teneat in Catechismo ante templi ingressum, sed quod eum teneat, dum Baptizatur, vel confirmatur, vel immediatè è Baptizantis, aut confirmantis manibus eum suscipiat. Ratio est, quia hæc cognatio oritur ex ipsa essentia Sacramenti, quia nimirum per illam verè regeneratur per gratiam.

69 CVm per Concil. Trid. ad summũ debeant susceptores esse vnus, & vna, si contingeret plures duobus leuare infantẽ, quis eorũ hanc cognationem contraheret.

Resp. Si certi patrini designati essent, alij tangentes non contraherent, si verò nulli essent designati, omnes tangentes contraherent, vt & contraherent omnes tangentes si plures duobus designati essent, & à parocho admitterētur. Etsi enim Trid. prohibeat ne plures suscipiant, factum tamen non irritat.

QVi per procuratorem alium suscipit, contrahitne hanc cognationem. 70

Resp. Contrahit, quia iura non prohibēt hunc actum fieri per procuratorem, ergo potest quis per procuratotem hoc munus obire, & consequenter hanc cognationem contrahere.

QVid est cognatio legalis. 71

Resp. Est propinquitas consurgēs ex adoptione, seu arrogatione, qua quis alienum filium recipit in suum.

QVotuplex est hæc cognatio legalis Matrimonium dirimens. 72

Resp. Triplex 1. est inter arrogantem, & arrogatum, eiusque filios, & nepotes

vsque ad 4. generationem „& hæc species dicitur paternitas legalis, durat que in perpetuum. 2. est inter filios legitimos arrogãtis, & arrogatum, & dicitur fraternitas legalis, & durat tantùm, donec alter eorũ emancipetur. 3. species est inter coniugem adoptantis, & adoptatum, & inter adoptantem, & coniugem adoptantis, & hæc est perpetua.

73 QVæ crimina dirimunt Matrimonium contractum.

Resp. Duo sunt illa, scilicet homicidium, & Adulterium. Quod attinet igitur ad Homicidium, quando vnus coniugum cõcurrit cum tertia persona ad necem alterius coniugis, illi duo non possunt inter se contrahere. Sed requiritur ad hoc impedimentum 1. vt vere sequatur mors. 2. vt eã vterque machinetur. 3. vt id fiat animo contrahendi. De Adulterio autem hoc notandum, illud per se non dirimere Matrimonium, sed cùm habet secum coniunctũ vnum eorum, quæ sequuntur, sicut nec è contra vllum istorum impedit, nisi ei adulterium sit annexum. 1. est, quando post adulteriũ coniux interficitur ab vno adulterorum animo contrahendi Matrimoniũ.

2. quando

2. quando cum adulterio datur fides de matrimonio postea contrahendo, licet non intendant interficere alterum coniugem. 3. est, quando coniux alter contrahit Matrimonium cum adultero, vel adultera per verba de præsenti, viuente adhuc priore coniuge: tunc enim tales sunt inhabiles ad Matrimoniũ, etiam post mortem coniugis alterius. Quæ omnia statuit Ecclesia, vt tolleret occasionem interficiendi cõiuges.

QVæ cultus disparitas irritat Matrimonium. 74

*Resp.* Cultus disparitas Matrimonium irritans in eo consistit, quod vno ex futuris coniugibus existente baptizato, alter baptizatus non sit: defectu enim baptismi ex parte alterius, Matrimonium inter eos celebratũ nec est Sacramentum, nec validum in ratione contractus, vt docet communis Ecclesiæ praxis. De cætero si Catholicus cõtrahat cum hæretica, vel schismatica matrimonium tenet, esto peccet grauissimè.

QVæ vis Matrimonium reddit inualidum. 75

*Resp*, De hoc ĩpedimẽto supra egimus

vbi de vltroneo consensu contrahentium

76 QVis ordo impedit, & dirimit matrimonium.

*Resp.* Solus ordo sacer impedit, & dirimit matrimoniũ, ex Trid. sess. 24. can. 9. & qui in sacris constitutus illud attentaret, præter graue sacrilegium, incurreret excommunicationem latæ sententiæ. Clementina vnica de consanguinitate, fieretque irregularis, extra qui clerici, vel vouentes. c. 1. & 2.

77 QVis dispensat in hoc impedimento.

*Resp.* Solus pontifex, cuius est sacris ordinibus initiatum eximere à voto in susceptione ordinum implicitè emisso.

78 SI quis post matrimonium contractum ordinaretur, susciperet ne ordinem, & caracterem.

*Resp.* Susciperet ex extrauag. Ioannis 22. de voto. Talis autem teneretur reddere, & non petere debitum; fieret item irregularis, nisi in quibusdam casibus. 1. in causa diuortij perpetui, cuius occasione posset quis ingredi religionem, aut ordinari. 2. ex cõsensu mutuo, modò mulier profiteretur religionem. 3. si mulier esset prouectæ ætatis, & voueret continere in sæculo.

QVid intelligitur nomine ligaminis.
Resp. Intelligitur impedimentũ matrimonij præuij, seu præcedẽtis illud, de 79
quo agitur: tale enim præuiũ matrimonium impedit posterius iure naturæ, quo iubetur vir adhærere vxori suæ & contra, vt sint duo in carne vna, vt sic repræsentetur vnio Christi cum ecclesia vna. Hinc illud Apostoli Rom. 7. *Mulier viuẽte viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Quod impedimentum vim habet, etiam si matrimonium fuerit tantùm ratum, hoc est etsi coniuges cõtraxerint per verba de pręsẽti nulla secuta copula, secũdum verò consummatum.

QVid in hoc casu facto opus est.
Resp. Qvod ad conscientiã spectat: 80
si coniux post diuturnam mariti absentiã, ob probabiles,& prudentes coniecturas de morte ipsius,cum alio cõtraxerit, nõ peccauit: erunt autẽ probabiles coniecturæ,quas iudex, vel viri prudentes probabunt. Si tamen post tale contractum matrimoniũ certò intellexerit priorem coniugem viuere, nõ poterit debitũ reddere: Quòd si inceperit tãtùm dubitare, vtrũ adhuc superstes sit, an obierit,nõ poterit debitũ petere, redde-

re verò tenebitur alteri vtenti iure ſuo.

Reſp. 2. Si prior maritus ſuperſtes redierit, tenetur vxòr ad eum redire, illeq; coniugem ſuam recipere, niſi probaretur copulam habuiſſe cum ſecundo, poſtquam cerò intellexit alium eſſe ſuperſtitem.

81 SI quis ratus ſuam vxorem viuere, quæ reuera obiit, contrahat cum alia, cenſebiturne talis contractus verum matrimonium.

Reſp. Non, quia talis eius conſenſus nō fuit maritalis, ſed fornicarius.

82 QVid eſt impedimentum publicæ honeſtatis.

Reſp. Eſt impedimentum, quod naſcitur ex ſponſalibus puris, certis, & validis, ex c. vnico, de ſponſalibus in 6. & ex Trid. ſeſſ. 24. c. 3. de reform. matrimonij; vbi decernit *quacunque de cauſa ſponſalia inualida fuerint, tolli hoc impedimentum.* Ratio huiuſmodi impedimenti eſt, quia & ſi ſponſalia ſint tantùm cōiugij promiſſiones, reſultat tamen ex iis fœdus quoddam ſpeciale, non modò inter coniuges futuros, ſed etiam inter quēlibet eorũ, & alterius parentes, quod impe-

dimentum publicæ honestatis dicitur, quia indecorum est tales inte se coniungi.

RESultatne impedimẽtum publicæ honestatis ex solis sponsalibus. 83

*Resp*. Resultat etiam ex matrimonio rato, quamuis inualido, dummodo inualidum non sit ex defectu consẽsus. patet ex c. spõsam, extra de sponsalibus.

AD quotum gradum hoc impedimentum protenditur.

*Resp*. Iure antiquo dirimebat matrimonium vsque ad 4. gradum: restrictum est tamen à Trid. ad primum gradum, qualis cõplectitur solos parentes, fratres, sorores, ac filios. Quare sponsus de futuro potest contrahere cum omnibus consanguineis sponsæ, excepta matre, filiabus, eiusque sororibus. Sed hæc intellige, cùm hoc impedimentum oritur è sponsalibus. Nam si oriatur ex matrimonio rato, extenditur vsque ad 4. gradum; quia Trid. iuri antiquo non derogauit, nisi quoad spõsalia, vt declarauit Pius 5. in bulla Ad Romanum spectat pontificem. 84

QVid est affinitas.

*Resp*. *Est vinculũ quoddam propinqui-* 85

*tatis inter diuersas personas ex duorum carnali copula prouenies, quo omnes cõsanguinei constituuntur alteri affines in eadẽ linea, & gradu, quo alteri sunt cõsanguinei* v. c. pater, & frater meæ vxoris sunt mihi affines in 1. gradu, inter consanguineos verò ipsos viri, & vxoris nulla contrahitur affinitas: vnde fit, vt frater mei mariti possit cum mea sorore contrahere: Item pater, & filius cum matre, & filia; affinitas enim non parit affinitatem.

86 QVibus gradibus concluditur affinitas.

*Resp.* Affinitas veniens ex copula matrimoniali impedit, & dirimit matrimonium solùm vsque ad quartum gradum inclusiué, tam in linea recta, quàm collaterali, vt habetur c. non debet, de cõsanguin. quamuis olim dirimeret vsque ad 7. Si verò veniat ex copula illicita, extenditur solùm ad 2. gradum inclusiué. Ita Trid. sess. 24. c. 4. de reform.

87 QVid iuris si affinitas superueniat matrimonio iam rato.

*Resp.* Talis affinitas non soluet illud, sed efficiet, vt qui fuit in culpa debitum citra dispensationem petere non possit, sed

solùm reddere. v. c. ex duobus coniugatis vnus habet rem cum consanguinea alterius in secundo gradu, cōtrahit impedimentum, vt non petat debitum à coniuge, quia factus est affinis illius.

QVæ impotētia impedit, & dirimit matrimonium. 88

Nota impotentiam coeundi, qua non potest semen effundi intra vas muliebre aliam esse perpetuam, quæ scilicet aufferri nequit sine vitæ periculo, vel non sine miraculo, vel non sine peccato; quod enim cum peccato fit, censetur fieri non posse; aliam tēporalem, quæ arte aliqua, aut ordinariis ecclesiæ remediis tolli potest. Item aliā esse absolutam, quę reddit aliquem impotentē, non modò respectu huius, aut illius, sed respectu omnium: aliam respectiuam, quæ est tantùm respectu certæ personæ, vt solet cōmuniter esse in maleficiatis. His positis.

*Resp.* Impotentia absoluta, & perpetua impedit, & dirimit matrimoniū. Ratio est, quia etsi copula nō sit de essentia matrimonij, potestas tamen, & obligatio ad illā est de eius essentia; at in impotēte nulla potest esse talis obligatio, nemo enim obligari po-

test ad impossibile, ergo nec matrimoniũ.

*Resp.* 2. Impotentia, quæ est tantùm respectiua, sed perpetua, dirimit matrimonium inter eos, respectu quorum est; respectu verò aliorum non dirimit.

*Resp.* 3. Impotentia non perpetua non dirimit matrimonium, siue illa sit absoluta, siue respectiua. Ratio est, quia qui laborat hac impotẽtia absolutè est potens, licet egeat aliquo adminiculo, vt perfectè fiat potens.

89 QVandonam impotentia coeundi censetur perpetua.

*Resp.* Iudicium sumi debet ex triennali cohabitatione (modò frigiditas priùs probari non possit) si enim eo tempore coniuges consummare matrimonium non potuerint, censebitur impotentia perpetua, erũtque toro separandi, aut etiam habitatione, si periculum sit incontinentiæ, aut alterutter id petat. c. laudabilem de frigidis.

90 QVid si elapso triennio, & secundo matrimonio cõtracto appareat illũ esse potentẽ, qui antea iudicabatur impotẽs.

*Resp.* Reddẽda erit ei prior coniux, quia

prius Matrimoniũ fuit validum, ex c. Laudabilem, & c. fraternitatis, ſecus ſi impotentia ſit tantùm reſpectiua perpetua, quod fieri poteſt operâ Dæmonum, & maleficorum, qui experientia teſte efficere poſſunt, vt quis ſit potens coire cum vna, non cum alia, idque in perpetuum, ſi enim vno die id poſſũt, poſſũt & totâ vita: quo in caſu vterque poſſet aliud inire Matrimonium, cùm ſint incapaces inter ſe, non autem reſpectu aliorum.

CVm impedimentum eiuſmodi ortum ex maleficio, tolli poſſit alio maleficio, nunquid cenſeri debet temporale. 91

*Reſp.* Non, ſed perpetuum, cùm tolli alio maleficio non poſſit ſine peccato (Licitè tamen poſſet maleficium deſtrui auſferendo ligaturas, & ſimilia, quæ à malefico inconſulto Dæmone deſtrui poſſunt, & per conſequens petere id liceret à malefico) neque liceat vti opera Dæmonis, neque rogare maleficos, vt maleficiis maleficia diſſoluãt. quare etſi de facto maleficiũ maleficio diſſolueretur, Matrimoniũ tamẽ nullum eſſet, ſed poſſet vterque aliud matrimonium inire, niſi ſecundò poſtmodũm inter ſe contraherent, quia tale

impedimentum fuit verè perpetuum, secus, si vis Dæmonis reprimeretur exorcismis, orationibus, aliisue piis exercitiis.

92 SI impedimentum superueniret Matrimonio rato, dissolueret ne illud.

*Resp.* Non; quia non soluitur matrimonium ratum, nisi per ingressum religionis, vt supra diximus.

93 STerilitas, quæ est impotentia quædam ad conferendum semen generationi opportunum, estne sufficiens causa matrimonij dirimendi.

*Resp.* Non, quia sterilitas non est impotentia ad coeundum simpliciter, sed tãtùm ad actu generandum. Modò igitur steriles seminare possint, poterunt contrahere, si non ob prolem, saltem ob alium Matrimonij finem, scilicet ob remedium concupiscentiæ, quod & senibus licet,

94 IMpotentia generandi in pueris impeditne Matrimonium.

*Resp.* Iure naturæ non impedit, dummodo adsit rationis vsus, quia est tẽporalis tantũ impotentia. Si spectemus tamen ius Ecclesiasticum, impedit in masculo vsque

ad 14. in fœmina verò vſque ad 12. annum, niſi priùs potentes ſint, & ſufficienter doli capaces, vt patet ex c. Tuæ nobis, & c. continebatur, de deſponſatione impuberum. poſtquam verò ætatem attigerũt non impediũtur contrahere, & ſi adhuc ob ætatis imbecillitatem impotentes ſint.

VNde oritur impotẽtia ad coeundum. 95
*Reſp.* Oritur illa vel ex cauſa intrinſeca, & naturali, & eſt frigiditas, vel ex cauſa extrinſeca, puta opera Dæmonis, & maleficorum, de quibus titulo de frigidis, & maleficiatis.

QVid intelligitur per cõiugium latens. 96
*Reſp.* Nomine cõiugij latentis intelligitur cõiugiũ clãdeſtinũ de quo ſupra.

QVid per Raptũ intelligitur, cum dicitur, coniugiũ raptus tẽpore iunctũ. 97
*Reſp.* Raptus hoc loco ſumitur pro violentia illa, qua vir fœminam nolentem de loco in locum abducit, vt eam in ſua poteſtate habeat, eſtque impedimentũ huiuſmodi, vt inter raptorẽ, & raptam, quandiu hæc in illius poteſtate manſerit, nullum

possit consistere Matrimonium. Quòd si illa post raptum in loco securo, ac libero constituta consensum præberet in Matrimonium, tunc validè contrahere posset Trid. sess. 24. c. 6. de reform. Matrimonij.

98 SI vir puellam volentem abduceret inuitis parentibus, essetne raptus.

*Resp.* Si non esset violentia ex parte puellæ, esset tantùm raptus imperfectus, qui Matrimonium non dirimeret secundùm ius canonicum, quia concilium voluit tantùm consulere libertati Matrimonij, ad quā satis est solus puellæ liber consensus.

99 QVænam est pœna raptorum.

*Resp.* Raptor decernitur à Concilio loco citato perpetuò infamis, ipso iure excommunicatus, omnium dignitatum incapax, & non solùm ille, sed omnes consilium, auxilium, & fauorem dantes. Insuper tenetur raptam, siue eam in vxorē ducat, siue non, decenter arbitrio iudicis dotare, & si Clericus sit, præcipit vt de proprio gradu decidat. Ad has tamen pœnas incurrendas (excepta excommunicatione) requiritur sententia iudicis.



# SECTIO XI.

## *DE IMPEDIMENTIS Minoribus.*

QVot ſunt impedimenta, quæ impediunt Matrimonium contrahendum, ſed non dirimunt contractum. 100

*Reſp.* Quinque ſunt, ſcilicet interdictũ, votum, ſponſalia, catechiſmus, crimen.

QVid intelligitur per impedimentum interdicti. 101

*Reſp.* Intelligitur prohibitio Eccleſiæ, cùm ſcilicet interdicitur aliquibus, ne inter ſe contrahant; quod ſi faciant coniuges, peccant mortaliter; tenet tamen Matrimonium. Huc referri poteſt Excommunicatio tam maior, quàm minor, qua innodati remouentur à ſuſceptione omnium Sacramentorum.

102 QVotuplex est interdictum.

*Resp.* Duplex; aliquando enim est à iure, aliquando ab homine; ab homine, vt quando præcipitur alicui à superiore ne contrahat propter rationabiles causas, vt quia lis pẽdet, & litigatur de validitate Matrimonij: à iure, vt patet de Matrimonio clandest. quod est prohibitũ, ex c. cũ inhibitio de clandest. despons. Item de tempore interdicto, in quo non licet contrahere cum solemnitatibus, ex Trid. sess. 24. c. 10. de reform. Matrimonij. Quod tempus interdictum modò est ab aduentu vsque ad Epiphaniam, & à feria 4. cinerum vsque ad octauam Paschatis inclusiuè. Dixi non licere contrahere cum solemnitatibus; quia sola solemnitas est prohibita, scilicet solemnis Ecclesiæ benedictio, traductio spõsæ in domum, tripudia &c. Quare mortale non esset contrahere Matrimoniũ in quadragesima sine solemnitate, & etiam consummare absque benedictione.

103 QVodnã votum impedit Matrimoniũ.

*Resp.* Votũ simplex castitatis, vel religionis, vel suscipiẽdi sacros ordines, vel nõ contrahendi Matrimoniũ. Vbi aduertendũ eum, qui post votum castitatis cõtrahit, nõ posse petere debitum, sed tantùm reddere

petenti, nisi in ea re fuerit dispensatum: potest autem dispensare Episcopus, & quidam regulares ex priuilegio.

QVa ratione sponsalia impediũt Matrimonium. 104

*Resp.* Impediunt, quia sponsalia sunt promissio de futuro Matrimonio, promissio autẽ seruanda est, & quia est in re graui, obligat sub mortali, nisi subsit causa rationabilis in contrarium.

QVomodo Catechismus impedit, ne licitè contrahatur. 105

*Resp.* Tale olim impedimentum contrahebat, qui quempiã in Catechismo tantùm suscipiebat, quale hodie contrahunt, qui in ipso Baptismo, aut Confirmatione aliquem suscipiunt, cum hoc tamen discrimine, quod illud erat tantùm impediens contrahendum, hoc verò fit etiã dirimens contractum Matrimoniũ. Sed iam videtur exoleuisse tale illud impedimentũ per Trid. sess. 24. c. 2, de reformatione Matrimonij.

QVid per impedimentũ criminis intelligitur. 106

*Resp.* Nõnulla sũt crimina, propter quę quis prohibetur cõtrahere Matrimoniũ. 1.

Incestus cum consanguinea cõiugis adhuc viuentis. 2. est vxoricidium. 3. est raptus alienæ sponsæ. 4. est presbytericidium. 5. proprij filij de fonte susceptio malitiosè facta, ne scilicet teneatur reddere debitum 6. Coniugium cum moniali scienter factũ. 7. Omne peccatum, propter quod imposita est publica pœnitentia. Sed hæc omnia videntur iam abrogata. Hæc de impedimentis Matrimonij.



# SECTIO XII.

## DE SPONSALIBVS.



107 QVid sunt Sponsalia.

Resp. *Sunt promißio mutua futuri Matrimonij.* ex c. Nostrates. 30. q. 5.

108 QVomodo diuiduntur Sponsalia.

*Resp.* Alia sunt absoluta, alia conditionata, vt ducam te si patri placuerit. Item vtraque vel fiunt cum iuramento, vel sine illo. Adhęc aliquãdo fiũt cũ traditione

arrae, vel

munuſculorum. Item alia ſunt certa, alia incerta, vt ſi quis promittat ſe vnam ex pluribus puellis ducturum. Denique quædam ſunt ſponſalia in rigore, quædam verò ex interpretatione iuris, cuiuſmodi ſunt ea, quæ fiunt per verba de præſenti, quando vel ambo coniuges vel ſaltem vnus eorum non attigit legitimam ætatem.

QVi poteſt contrahere Matrimonium, poteſt-ne & ſponſalia. 109

*Reſp*. Poteſt, & è contra etiam, niſi in duobus caſibus. 1. eſt ex defectu ætatis, 2. eſt ex abſentia parochi, & duorum teſtium. poſt Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. Matrimonij, ſaltem vbi illud receptum eſt. Nam in iis caſibus patet poſſe eſſe ſponſalia, non autem Matrimonium.

SPonſalia incerta ſunt-ne verè ſponſalia. 110

*Reſp*. Non ſunt, vt neque conditionalia, niſi poſt impletam conditionem, neque ea, quæ fiunt à parentibus, inſciis filijs, vel non conſentientibus, ob defectum ætatis, neque tenentur filij ſtare tali contractui parentum, niſi ex quadam æquitate, non verò ex neceſſitate.

111. SPonsalia facta per litteras, & per procuratores, sunt ne vera sponsalia.

Resp. Sunt, quia matrimonium sic contractum est validum, ergo & sponsalia multò magis.

112 SPonsalia clandestina, & ea, quæ fiunt per verba de præsenti ante pubertatem, sunt-ne valida.

Resp. Sunt, etiam post Trid. quia concilium loco supra citato irritat tantùm matrimonia clandestina, nec quicquam immutat circa sponsalia.

113 QVi contraxit Sponsalia, tenetur-ne sub peccato mortali stare promissis.

Resp. Tenetur, nisi legitimum interueniat impedimentum, aut nisi sponsalia contraxerit ante pubertatem, omnis enim promissio voluntaria, & deliberata in re graui obligat sub mortali. Ecclesia tamen non cogit eum, qui sic se obstrinxit, vt stet promissis, ob libertatem matrimonio debitam, cùm matrimonia coacta difficiles frequenter habeant exitus, vt dicitur c. Requisiuit, extra de sponsalibus: moderatam tamen

compulsionem adhibere potest Ecclesia; quando præsertim sponsalia iurata sunt.

Matrimonium per verba de præsenti inualidè contractum habet-ne vim sponsalium. 114

Resp. Matrimonium tam ab impuberibus inualidè, quàm à puberibus, vbi Trid. est receptum, clandestiné contractum vim habet sponsalium, nisi contrahentes aliud expressè intendant, quia hic contractus virtute includit etiam vim sponsalium, talisque est contrahentium intentio, vt si non valet contractus pro matrimonio, in quo datur ius propinquum in mutua corpora, valeat pro eo contractu in quo datur ius remotum, Atque ita declarauit congregatio Cardinalium.

Sponsalia de futuro trāseunt-ne in matrimonium de præsenti. 115

Resp. Iure antiquo cùm spōsalibus accedebat copula vxorio affectu, id est, cum intentione matrimonium consummādi, transibāt illa in matrimonium: modò verò post Concil. Trid. Matrimonia quæ non fiunt coram duobus, aut tribus testibus cum pa-

rocho, nullius sunt efficaciæ. ex sess. 14. c. 1. de reform. Matrimonij.

116 QVo tempore contrahi possunt sponsalia.

*Resp.* Ante septennium contrahi non possunt absque peccato, ex c. literas, & c. accessit, extra de despons. impuberum, & c. vnico eodem titulo in 6. & ratio est, quia cùm, vt sæpe dictum est, sponsalia sint promissio quædam, requirunt vsum rationis, qui circa septennium solet non deesse.


117 SI qui sponsalia contraherent ante septennium, malitiâ supplente ætatem, essent-ne valida.

*Resp.* Essent: patet à simili de matrimonio, ad quod & si requiratur certa ætas, minor tamen aliquando sufficit, cum scilicet malitia supplet ætatem. ex quo sequitur futurum, vt oriatur inde impedimentum publicæ honestatis.

118 QVi sponsalia contrahunt inualidè ob defectum ætatis, aut vsum rationis, peccant-ne mortaliter.


*Resp.* Si id fiat, quia vix rationis vsus

capaces sunt, non peccare mortaliter, quia tales à graui culpâ excusantur: Immò nec parentes, qui tales inducunt ad contrahendum sponsalia, videntur grauiter peccare, quia sponsalia non sunt Sacramentum, nec cuiquam fit iniuria.



## SECTIO XIII.

## *DE DISSOLVTIONE sponsalium.*



QVIBVS in casibus Sponsalia dissoluuntur. 119

*Resp.* Præter impedimenta matrimonium dirimentia, quæ etiam impediunt sponsalia, ne contrahantur [excepto ætatis defectu, & præsentiâ parochi, & duorum saltem testium, de quibus supra] multi sunt modi dissoluendi spõsalia iam contracta.

1. Est, per mutuum consensum contrahentium, modò hæc dissolutio non fiat ante annos pubertatis, quandiu enim impu-

beres sunt dissolui non possunt, etiam per mutuum eorum consensum, vt hac ratione occurratur leuitati puerorum.
2. Est, per professionem in religione approbata, aut si quis emittat vota simplicia in religione approbata, quia per ea quis constituitur verè religiosus. Quin etiam sufficit simplex ingressus in religionem ad hoc, vt altera pars maneat libera [ hoc enim ipso, quod quis ingreditur religionem, renuntiat sponsalibus [ secus de ingrediente quandiu non vouet religionem.
3. Est, per susceptionem ordinis sacri.
4. Est, per votum simplex ingrediendi religionem. Item per votum simplex castitatis, aut suscipiendi sacros ordines, sic enim vouentes, hoc ipso renuntiant sponsalibus, adeòut partes liberæ maneant ab omni obligatione. Qui verò sic vouerunt, manent obligati vt contrahant, si partes hoc exigunt.
5. Est, per fornicationem sponsi, siue sponsæ, vt habetur c. quemadmodum de iureiurando. etiam si vi facta sit, aut sponsalia præcesserit in spōsa modò ignorata sit. Quod si vterque fuerit fornicatus post spōsalia, resilire quidem poterit sponsus, non tamen sponsa, ob imparitatem delictorum.

6. Ob fornicationem ſpiritualem, qualis eſt infidelitas, aut hæreſis ſuperueniẽs. 28. q. 1. can. nõ ſolum.

7. Eſt per diſceſſum ſpõſi, vel ſponſæ in lõginquas regiones abſque alterius licentia, præſertim ſi mora tãta ſit, vt prudẽti iudicio cenſeatur renuntiaſſe ſponſalibus. Idem dicendum de lapſu temporis cõſtituti ad matrimonium, modò terminus temporis addatur ad limitãdam obligationem, is enim per quem non ſtetit, poteſt recedere à ſponſalibus, licet alter teneatur ſtare promiſſis.

8. Eſt, per matrimonium de præſẽti cum altero cõtractum ex c. ſicut, de ſpõſalibus. Per ſecũda item ſpõſalia datur cauſa ſufficiens priori ſponſæ, vt licitè à ſponſalibus reſiliat: obligatur tamẽ ad cõtrahendum matrimonium cum priori, eſto poſteriora ſpõſalia iuramẽto firmata ſint.

9. Eſt, per conditiones appoſitas, modò legitimæ ſint, non adimpletas.

10 Eſt, per eam mutationem ſtatus, quæ ſi præcognita fuiſſet, talis conditionis homines à contrahẽdo deterruiſſet: vnde ſi alteruter incederet in grauem pauperiem, infamiam, morbum contagioſum, aut fieret crudelis, truculẽtus, intractabilis &c. poſſet alter reſilire à ſponſalibus.

11. Per inimicitias capitales exortas inter sponsum, & sponsam: quia nimirum huiusmodi matrimonia habent difficiles exitus. Item si alterius partis parentes ita pertinaciter matrimonio repugnent, vt periculum sit sinistri alicuius euentus imminentis.

12. Per impedimentum aliquod canonicum præsumptum inter ipsos coniuges. Atque hi sunt præcipui modi, quibus sponsalia dissoluuntur: dissoluuntur autem non interposita iudicis autoritate, quando caussa dissoluendi est publica, & moraliter certa. Quando verò causa non vsque adeo manifesta est, vt vitetur scandalum, interponi debet Ecclesiæ autoritas: quod & obseruandum est, quando iuramento firmata sunt.

*FINIS.*



# INDEX CAPITVM, ET SECTIONVM, QVÆ HOC opere continentur.

## In Cap. I. *De sacramentis in genere.*

Sectiones sunt. 10.

# INDEX.

## In Cap. II. *de Baptismo.*

Sectiones sunt 9.



## In Capite III. *De Confirmatione.*

Sectiones sunt 6.

# In Capite. IV. De Eucharistia.

Sectiones sunt 20.

## In Capite V. *De Sacro-Sancto Missæ Sacrificio.*

### Sectiones sunt 10.

## In Capite. VI. De Pœnitentia.

Sectiones sunt 15.

## In Cap. VII. *De Extrema vnctione.*

### Sectiones sunt 5.



## In Capite VIII. *De Ordine.*

### Sectiones sunt 8.

# INDEX.



## In Capite IX. *De Matrimonio.*

Sectiones sunt. 13.

Laus Deo Opt. Max, Virginique Matrj